STATERA IUSTITIÆ

Quâ

JUDICIUM CUM RESPONSIONE

DE

SCRUTATORE VERITATIS

Nomine Calvino-Reformatorum malè formatum expenditur, ac in melius reformatur.

PER
JOANNEM FRANCISCUM HACKI
Societatis JESU Theologum. R. C. G.

A. D. M. DC. XCI.

Typis Monasterij B. M. V. de Oliva
Imprimebat, JOANNES JACOBUS TEXTOR, Factor.

NOlite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum Judicium judicate. Joan. 3. 24.

Appendat me in STATERA *juſta* (hebr:) JUSTITIÆ, *& ſciat DEUS ſimplicitatem meam.* Job. 31. 6.

Μὴ ζυγὸν ὑπερϐάνειν *STATERAM ne tranſilias.*

Ne prætergrediare JUSTITIAM i. e. *Veritas poſt DEUM colenda, quæ ſola proximos DEO facit.* D. Hieronym. Tom. 1. adv. Ruff.

PRÆFATIO.

Ad benevolum Lectorem, ac singillatim Protestantes Calvino-Reformatos.

PRrinceps ac prima Virtus est Omnis Judicis, Judiciique, Justitia. Hâc velut *Staterâ justâ*, [a] quæ Æquitatis apud Veteres Hieroglyphicon, omnes causæ ac lites ponderantur. Hæc ab æquo Areopago omnem longè repellit timorem, suo ipsius secura præsidio: amorem refrænat, ne plus *valeat favor in Judice, quàm Lex in codice.* Corruptioni pretium adimit, ne magis æstimetur aurum Midæ, quàm D. Nemesis Ara. Ad omnem personarum respectum claudit oculos, ne plùs sangvini, aut necessitudini, quàm æquitatis necessitati tribuatur. Hinc rectè Regius Vates hortatur, *Recta judicate filii hominum*, [b] ac præprimis D. Salvator noster. *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judiciũ judicate* [c] Sanè *STATERA*

a *Levit.* 19.36.

b *Ps.* 57.2.

c *Joan.* 7.24.

 dolosa

d *Prov.* 20. *dolosa non est bona;*[d] quin *STATERA dolosa*
23. *abominatio est apud Dominum, & pondus æquum*
e *Prov.* 11. 1. *voluntas ejus.*[e] Gravẽ proinde incurrunt Censu-
ram districti Judicis *Mendaces filii hominum in*
STATERIS, ut decipiant ipsi in Vanitate in idi-
f *Ps.* 61. 10. *psum.*[f] Adeò ut finem super populum suum
Israël interminetur Dominus, eò quòd omnis ju-
stitiæ, & æquitatis ratione postposita, inter alia,
g *Amos.* 8. 5. *STATERAS dolosas supponere*[g] sibi proposue-
rit. Hinc & Micheæ ore quærit. *Nũquid justificabo*
h *Mich.* 6. 11. *STATERAM impiam?*[h] Si igitur STATERA
dolosa, si *mendax*, si *impia* nullum apud Divinum
Numen locum habet in rebus naturalibus & hu-
manis? quantò minùs in rebus supernaturalibus &
Divinis? Quamobrem Rex Sapientissimus providè
monet unumquemq;, multò magis Judicem, *ver-*
i *Eccl.* 28. 29. *bis tuis STATERAM facito*[i] Hinc *verba sa-*
pientium (quales Judices esse decet) *STATERA*
k *Ibid.* 21. 28. *ponderabũtur,*[k] quæ si excesserit æquitatis Libellã,
dolosa omnino, atq; abominabilis apud DEUM est.
Qualis fuit *Chanaan in cujus manu STATE-*
l *Osea.* 12. 7. *RA dolosa, calumniam dilexit.*[l] Chanaan nimirũ
ex Hebræo *mercator, negotiator:* Pessimum desi-
gnat, quin abominabile negotiationis genus, State-
râ dolosâ mercari calumniã; quam dilexit, in illaq;
sibi complacuit iniquus *negotiator* Chanaan. *Pon-*

dus &

dus & STATERA Judicia DEI sunt.[m] *Pondus* m *Prov. 16, 11.*
certè & *STATERA* sint Judicia Hominum, qui præsertim velut vice-Dii Divinæ Veritatis causam dijudicandi nimis arduam suscepêre provinciam.

Judicis partes in perscrutandæ Veritatis fidei Orthodoxæ summo negotio, assumpsit suppresso nomine Autor *Judicii cum Responsione*, quod nomine Calvino - Reformatorum hìc Gedani tulit de *Scrutatore veritatis* fidei à nobis vulgato. Non refugiebat tum Scrutator Veritatis cum illo *simplici ac recto viro, appendi in STATERA justa*, seu ut in hebr. *JUSTITIÆ, ut quisq; sciat simplicitatem suam* [n] quâ XII. Postulata omnibus inter se atque à Romana Catholica Ecclesia Dissidentibus Neo-Evangelicis proposuit. Ast prô! incidit in Judicium cùm aliorum, tum singillatim prædicti Autoris haud sanè sibi æquum. Hoc ipsum ad *STATERAM JUSTITIÆ* revocandum, malèque formatum in melius reformandum, duximus; ut palàm Orbi pateat Judicem cum suo Judicio *appensum in STATERA, & inventum minus habentem*, [o] id quod jam ad supremum Districti Judicis evocatus Judicium non erratico mentis oculo apertiùs intuetur. Tu cui Veritatis, atque Animæ salutis cura, unicè cordi est, Benevole Lector, sta ad

n *Job. 31. 6.*

o *Dan. 5. 27.*

hanc STATERAM. Sapiētis monito μήζυγον ὑπερβαίνειν *Stateram ne transilias*, [p] i. e. ut D. Hieronymus commētatur *ne prætergrediare JUSTITIAM*: hâc enim ad *Veritatem post DEUM colendam, quæ sola DEO proximos facit* [q] recto tramite duceris. Quin eam manibus tene & tere, oculis volve, revolve animo; senties demùm è vero te à terra ad Cœli stationem elevari; cùm ei, quà pro æquitate causæ, quà pro ratione statûs æterni, Animæ tuæ immortalis, maximum pondus ac momentum ab agnitione orthodoxæ Veritatis, hâc *Justitiæ Staterâ* non expensæ duntaxat, sed & assertæ, addideris. Vale, & fave.

p *Pythag.*

q *Tom. 1. adv. Ruff.*

STA-

STATERA JUSTITIÆ QUA JUDICIUM CUM RESPONSIONE DE SCRUTATORE VERITATIS EXPENDITUR ET REFORMATUR.

CAPUT I.

Expenduntur, & reformantur Prælimi-naria Responsionis.

I. SCrutator ille *Veritatis*, haud *est* *Vexator* : ut Judicium Respondentis decernit. *Vexare* enim est, *vi atq; motu vastiore agere*, quod haud competit Scrutatori, at veriùs Reformatoribus Ecclesiæ; qui vexantur ipsi : nam *qui raptatur, & huc atque illuc distrahitur*, ut inquit Gell. l. 2. c. 6. *Vexari propriè dicitur*; raptantur autem, atque huc, illucvé distrahuntur in punctis, etiam ut vocant ipsi, fundamentalibus

Scrutator Veritatis haud est Vexator.

talibus inter se Dissidentes Reformatores, cujus testem appello Synodum Dordrectanam, & vexant alios, taceo Lutheranos, ceterosque; loquor præcipuè Ecclesiæ ac fidei Catholicæ Romanæ domesticos. *Quam*, ut ille, de quo Cicero 2. in Verr. *Siciliam per triennium ita vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit*: sic hi non jam per triennium, sed alterô sæculô vexare, atque perdere in Anglia sigillatim haud destitêre, ut ea in antiquum statum, etsi *non absolutè nullo* Divinitùs, *Luc. 1.37.* enim *impossibile apud Deum*; humanitùs tamē loquendo haud ullo modo possit restitui. Quodsi nihilominùs obfirmata fronte contendas Scrutatorem omninò esse Vexatorem; sit ita sanè: modò *vexatio* illius, & Judici Rhadamanto, & aliis *det intellectum*: tum enimverò oleum atque operam haud se perdidisse gaudebit.

Nec verò Scrutatorem Veritatis *Vexatorem esse intelligi poterat ex postulatis satis, neque ex commissione orthodoxorum cum heterodoxis*, ut conjecturatur Judex. Nam nondum palàm Orbi fecit, (quod seriò postulavit Scrutator) solos, ceteris, quos pro heterodoxis habet exclusis, Reformato-Calvinianos in censu orthodoxorum reponendos esse. Sed *nec potuit Scrutator se continere, quin idem etiam indicaret expressiùs*: nempe verè scrutandi potiùs, & unicam Veritatem unicè indagandi, præmissaque indagine eam velut in theatrum producendi, & non *Vexandi animo hæc à se esse edita.* *Hocq;* ipsum loquitur *clausula*, *quâ nullam hodiernarum Neo-Evangelicarum Religionum præstituram esse, quod postulat*, præsago spiritu, *ominatur*. *Postulare*, certè, *quæ nôris* aut verè Divino supernè edoctus Spiritu, ut Prophetæ;

phetæ; aut legibus rectæ rationis, & prudentiæ instructus, ut quisq; prudens rerum ponderator, *præstari ab alio haud posse*, quò tandẽ malè latens vel sic patescat veritas, nemo prudentûm *vexare* dixerit: nisi non sine blasphemiæ notâ dixeris, quod absit, vexando postulasse veritatẽ Theandricã à Pharisæis ea quæ noverat, *Cujus, filius esset filius hominis*? *Matth. 16. 13.* aut ad oblatũ nummum *Cujus est hæc imago, & superscriptio? Matth. 24. 20.*

II. *Pontificij* profectò, i. e. vel hoc nomine Catholici, nunquam *ab unica* & succedanea antiquitate, & Universalitate amplissimâ, & unanimi consensione probatâ atque firmatâ, *fidem probandi ratione rectâ, recesserunt*; hinc neque *mille modos, & methodos comminiscuntur, quibus* verè veram *Religionem suam commendent*; *Dissidentium*, non tantùm *suspectam*, sed omninò *falsam* non *reddant* duntaxat, verùm & redditam orbi manifestent. Certè iidem plùs agunt partes Defendentium sese contra mille insultus, telavé hostium, quàm Oppugnantium; arma quæ assumunt, defensiva sunt magis quàm offensiva, quibus contra mille artes Ecclesiam impetentium, & defendunt strenuè, & conservant securè. *Feracissimum*, at non ferocissimum, ut Dissidentium aliquorum, *inprimis hoc seculum fuisse* non diffiteor, *à* deformatione veriùs, quàm *reformatione Ecclesiæ secundum*, *scriptorum* i. e. tot invictissimorum Heroum Ecclesiam propugnantium. *Hi verò illo ipsò suo numero & Varietate produnt sat* superque, *quàm* ipsis Adversarii *haud satisfaciant*, quin ex eisdem plurimos erroris convincant, qui id quod ingenuæ ac generosæ est mentis, abjectis errorum tenebris, lucem veritatis amplexi Christum D. hortantem sequi elegêre *ambulate dum lucem habetis ne tenebræ vos comprehendant* Joan. 12. 35.

Catholicorum dogmata probandi eadem semper ratio.

12. 35. Possem ejusmodi benè longum retexere catalogum, ni brevitati studerem, quem tamen ad finem *Regia via* à me jam edita recenset. Hinc minimè sese res ita habet, *quòd alii alios destruant*, quin alii aliis suffragentur. *Per quæstiones rem aggressi sunt aliqui*, sit sanè & omnes haud *Anonymi*, vel hoc nomine quia Catholici: *hoc* enim *nomen*, loquor cum D. Augustino Lib. cont. Epist. Fundami c. 4. *non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Per quæstiones*, inquit, *rem sunt aggressi*, & benè quia non dissimiles illis quibus contra sui temporis hæreticos usi sunt veteres Ecclesiæ Patres & Doctores. E multis has accipe, quas è SS. PP. Ecclesiæ eorum filii omnes proposuêre, proponunt, proponentque, nec tamen Dissidentium ullus eisdem satisfecit, nec unquam satisfaciet. Quærunt nimirum cum Tertull. Lib. de Præscript. *Qui estis vos? unde & quando venistis? ubi tamdiu* (ante mille quingentos & quod excurrit, annos) *latuistis?* Quærunt cum Optato Milevitano Lib. 2. cont. Parmen. Hæret. *Vestræ Cathedræ originem ostendite? qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare?* Quærunt cum Hieronymo in Epist. ad Pammach, &c. *Quisquis es assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas humanis auribus, parcas fidei quæ Apostolico ore laudata est* (scil. Romanæ Ecclesiæ Rom. 1. 8.) *Cur post quadringentos annos,* (mille quingentos aut sexcentos nunc diceret Hieronymus) *docere nos niteris, quod ante nescivimus? usque in hunc diem sine vestra ista* (Reformata an deformata) *Doctrina Christianus mundus fuit?* *Faciliùs*

Quæstiones quibus unà cũ SS. PP. utimur contra Dissidentes.

Faciliùs eſt quærere, inquis, non diffiteor, ſed nec difficilè, *reſpondere* nudam ſinceramque veritatem præcipuè, non fucatam & tectam propugnanti. Multùm enim intereſt inter hanc & illam, utraque poteſt eodem fervore defendi, nec planè diſſimilibus armis; at non eadem Veritatis victoriâ ac trophæo: ſemper enim, ut bona, ita conſangvinea illi tranſcendentaliter vera Cauſa triumphat.

III. *Quæſtiones*, Catholicorum, *ſolent eſſe* nec *captioſæ* nec *intricatæ*, quid enim captioſi, quid intricati in immediatè allegatis? niſi fortè captivantes potiùs quàm captioſæ videantur meritò iis, qui conſtricti aut capti eiſdem ultrò dant manus in captivitatem redigentes omnem *intellectum in obſequium Chriſti* 2. Cor. v. 5. quod ingenuæ mentis, aut ſi obſtinato ſint animo cadere potiùs quàm cedere malunt, quod eſt perfrictæ frontis, ac duræ cervicis. *Ad eas Quæſtiones reſponderi non poteſt ſine diſtinctione vocum & rerum accuratiore*, eſto ita; modo ſeu apertam falſitatem ſeu pallio tectam veritatis, multorum verborum, ac diſtinctionum ambitu, non involvere, ſed evolvere magìs ſtudiosè adlabores.

Quæſtiones Catholicorum non captioſæ nec intricatæ.

IV. *Interim Quæſitores* inquit Judex *exigunt Reſponſiones ſine ambagibus, ut loquitur Scrutator*, & rectè: recta enim ac ſimplex veritas nunquam rectiùs, quàm regiâ viâ, ac ſimplici tramite incedit. Ambigo ſanè plurimùm, *meliusnè ſit per ambages veritatem ſectari*, ſi præſertim illæ ſint ſenticetis ac vepribus errorum ſeptæ, nec majorum veſtigiis tritæ, *quàm rectà* non *in errorum paludes* decurrere, ſed tuto gradu quâ jère præeuntes orbitâ ſecurè ſine errorum metu legere Majorum veſtigia. *Ambages non ſunt* certè, *ſi quà eundum eſt eas*, & quà eundum

dum esse non monstret tibi erraticum sidus, deviator, sed fixum phænomenon, peritus viæ ductor: aliàs è sententia Domini meritò pertimescas, ne *cæcus cæco ducatum præbens ambo in foveam cadant: ita, si respondeas quantum necesse est*; necessitate, non quam cujusvis ad propriam privati spiritûs incudem fabricavit autor animus ac faber ratio; sed quam ad Divinæ Veritatis libellam, Universalis, momentis monumentisvè majorum libratam Divino assistente spiritu acta agitataque ponderavit Ecclesia.

Nec sunt per ambages ut Diffidentium.

V. Fallitur Judex edicendo *Ipsas quæstiones* Catholicorum *meras esse ambages*, quin idem in Diffidentes retorquent: illi enim ipsi *à recto veritatem scrutandi tramite simpliciores abstrahere satagunt*: quem videlicet nostri retroantè seculis omnes salubrioris sensûs tenuêre Parentes: omnes enim hoc velut Ariadnæ filo manuducti; nihil nimirum esse credendum ad salutem præter id quod DEUS veritas prima revelavit, atque per suam Ecclesiam credendum proposuit, implexas errorum ambages, ac mæandros evitavêre: ipsi autem Reformati hoc filum, hanc credendi normam è manibus simpliciorum petulanter excutiunt, novas atque inauditas ante Quæstiones proponunt, certa totque seculis unanimi consensu fidelium firmata in dubium revocant, dubia pro certis venditant, absurdis Ecclesiam Catholicam Romanam assertionibus impetunt: quis universa memoret! Verbô *à recto veritatem scrutandi tramite simpliciores abstrahere*, atque in devia, viasque difficiles quas nec ivêre, nec novêre Patres eorum, inducere satagunt. *Quàm verò nec his ipsis satisfaciant, ex eo patet: quia novas*, nuperque ex illorum-

rummet cerebro ortas contra totius Antiquitatis sensum & consensum tum *Quæstiones*, tum assertiones, ut quòd Papa sit Antichristus, quod Roma Babylon, quod Papistæ idololatræ & sexcenta alia malæ & suæ & aliorum, prô dolor! fortunæ fabri, insolenter *cudunt*. *At negotium*, equidem, *facessunt hac ratione*, sibi inprimis, ut unde unde conquisitis argumentis sub verbi DEI pallio, omni vi & conatu, vanâ tamen sine viribus irâ Ecclesiam Cathol. Romanam arietent. Dein verò & huic, ut ejus Propugnatores *eadem toties nimirum* Verbi DEI, atque Ecclesiæ autoritati innixi *respondere debeant.*

VI. *Scrutator* certè, *quo facesseret* salutare *negotium* iis, qui è tanto negotio fidei, à quo æterna pendet salus, negotiationes sibi quasdam religionum unà & regionum facere videntur; *non quærere tantùm, sed probationes etiam postulare & de probandi modo*, è communi scilicet ac præscripta omnium Catholicorum regula, *præscribere voluit*, ut vel sic in lucem eductus ex uno principio velut fonte emanans omnium error, omnium quoque sententiâ proscribatur, idque facit *quærendo*, haud *alienè*, nec *postulando iniquè*, nec *præscribendo temerè*, quod sequentibus palàm faciet.

CAPUT II.

Reformatio Num. I. An Scrutator quærat alienè.

I. NOn itaque inprimis *quærit alienè de iis, quæ ad Ecclesiam aut Religionem veram constituendam requiri* idque rectè *judicat. Non quærit verò, an* *Scrutator haud quærit alienè.*

 Diffi-

Diſſidentes quique ſeu collectivè *habeant iſta*, *ſed an ſoli* disjunctivè ac diſtributivè id eſt, hæc vel illa, vel alia, vel aliqua una ex omnibus, *habeant*? Non enim eſt poſſibile, ut quique ſeu collectivè omnes habeant, cùm inter ſe adeò ſint diſcordes ac diſſidentes in Concluſionibus ſeu articulis fidei, etſi in uno omnes Principio conveniant: non ſecùs atque architecti Turris Babel, qui in ædificanda quidem turri omnes conſentiebant, at confuſis lingvis in intelligendo animi ſenſu totô Cœlô abinvicem diſſentiebant, ut proinde unicuique illorum diſperſo per orbem aliud cœlum quærendum fuerit; ſic & hi diverſos de rebus fidei ſenſus ex eadem S. Scripturæ regula proferentes, diverſas ſibi Eccleſiarum ac religionum faciunt Colonias. Ac vel ideò rectè Scrutator quærit *An*, non equidem omnes collectivè *ea omnia quæ ad Eccleſiam aut religionem conſtituendam requiruntur, habeant?* id enim nequaquam omnes conceſſuras, apprimè novit: aut ſi id omnes concederent, næ illi egregii novæ turris Babel architecti fuerint? Sed potiùs quærit an *ea omnia ſoli*, id eſt omnes disjunctivè, videlicet aliqua ſaltem ex omnibus illis ſingularitate una, atque vel hac prærogativâ omnibus aliis præferenda, *habeat*?

II. *Et has* quidem, *quæſtiones tanquam ad negotium fidei, ſeu religionis, atque adeò quod rei caput eſt, ſalutis æternæ pertinentes proponit, ſcrutator eousque, ut niſi illis ſatisfaciant Religiones, quæ ſibi Evangelicorum nomen hodie vendicant, evidens ſit, ſoleque meridiano clariùs omnes & ſingulas ſuâ causâ cadere, nullam in veritate quæ baſis ac fundamentum ſalutis ſubſiſtere, imò nullum mortalium tutâ & ſecurâ conſcientiâ ulli earum fidere, adhærere, verbo in ea vitam degere,*

gere, atque ultimum diem obire posse, aut debere citra salutis, vitæque æternæ manifestum periculum, imò interitum. Quo quid non, ut addit Respondens, *alieniùs*, sed conformiùs & rectæ rationi, & exigentiæ tanti, ut est fidei veritatis ac salutis æternæ, negotii? Etsi enim concesserim Respondenti id quod asserit, *sufficere ad veritatem alicujus Religionis, si habeat ipsa quæ veram religionem constituunt, quantumvis illorum omnium aliquid habeat religio alia, quocunque modo & gradu à priori illa distincta.* At quidsi illa distincta Religio, A. dicat *se illa habere, quæ veram religionem constituunt*, & alia Religio B. Et tertia distincta religio C. cujuscunque sit nominis idem asserat, prout de facto asserunt omnes, cui harum potior fides danda? Num igitur aliené Scrutator quærit, quænam omnium sit illa una, quæ *sola habeat ea quæ veram religionem constituunt?*

III. Id verò non rectè judicat Respondens, sentire Scrutatorem *quasi nullus mortalium in religione quapiam vitam degere atque ultimum diem obire possit, aut debeat citra salutis vitæque æternæ manifestum periculum imò interitum, nisi religiones quotquot sunt, vel esse possunt cognitas & perspectas habeat, eousque ut asserere possit omnes illas & singulas nihil illorum quæ in vera religione sunt, & illius veritatem constituunt, obtinere, sed solùm illam habere ea omnia quam profitetur ipse.* Neque enim ea mens est Scrutatoris, qui haud præsumit ulli hominum alligare onera importabilia: quis enim prudens id requirat à quovis, quod humanæ finitæ scientiæ capacitatem excedit, verissimumque esse illud optimè novit quod scripsit Greg. Nazian. Orat. 33. quæ est 1. de Theolog. *Non est omnium disputare de DEO, non est omnium*

Certitudo de Veritate fidei habenda omnino maxima.

omnium Divinam discutere Naturam (ac sic de cæteris fidei articulis & Religionibus) non ita vilis est S. Scripturæ sermo, ut vulgo indocili & per terram adhuc repetentibus pateat. Illud tamen fidenter asserit nullum mortalium in vera religione vitam degere, atque ultimum diem obire debere, nec posse citra salutis vitæque æternæ periculum, nisi tantam de veritate fidei & Ecclesiæ suæ, omniumque quæ illa complectitur si non explicitè ac distinctè, saltem implicitè & virtualiter certitudinem habeat, ut hanc solam & non aliam pro vera & salvifica teneat, in eaque etiam cum vitæ fortunarumque dispendio perseverare obfirmato sit animo. Etenim certitudo fidei veræ est certitudo maxima sicut & veritas fidei, quâ nulla sub sole nec physica, nec metaphysica, nec physico-moralis dari potest major, quia Divina est & supernaturalis: si maxima? ergò omnem dubitationem, multoque magis omnem errorem ac falsitatem excludit. Hinc fidelibus ad fidei certitudinem, vitamque æternam sufficit, quòd credant hoc quod Ecclesia Catholica docet & credit, sic enim implicitè & ea omnia credunt, quæ illa credit, & respuunt, quæ illa respuit, nam ut D. Augustinus L. 14. de Trin. c. 1. ait. *Aliud est scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* De qua etiam paulò ante dixerat S. Aug. *Quâ scientiâ non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimùm.* Et hoc est illud *Significatum Propositionis* Catholicæ, *quod animis hominum ingerere,* quin profundè infigere ac indere *satagunt Pontificii,* seu vel hoc nomine Catholici. IV. *Fi-*

IV. *Fides una est*, inquit Resp. *in thesi quæ & qualis nobis in verbo DEI præscribitur.* Sit ita sanè; at quænam illa ipsa & qualis sit? prô! quantam rationem dubitandi facit, hæc ipsa thesis, quia *solum verbum DEI scriptum, est unica norma & normans regula & regulans seu Judex fidei?* Siquidem v. g. Lutherani hanc & talem in Verbo DEI præscribi docent, *quæ & qualis* eorum Symbolo continetur, Sociniani autem aliam, aliam Mennistæ, Quakeri, aliam ipsi Reformati. Rectè igitur non alienè quærit Scrutator, *quænam* scil. *& qualis* illa una & vera in thesi sit? Num Calviniana? num Lutherana? num quæcunque alia?

Fides una in thesi qualis sit

V. *Varia* inquit porrò Resp. *fides est in hypothesi, qualis existit in hominibus.* Fides hæc est subjectiva, quæ pro varietate subjectorum individuorum varia est; alia enim est in subjecto individuo v. g. Petro, alia in Paulo, idque subjectivè & individualiter, & de hac in præsenti non inquirimus. *At in hypothesi quoque una adhuc est substantiâ seu essentiâ.* Et de hac una quærit Scrutator, quænam illa sit inter tot? Cùm enim tot sint, quæ uni eidemq; principio sese infundant, unam substantiâ seu essentiâ arguunt: cùm autem ex eodem uno principio varias ac diversas Conclusiones seu articulos confessionesque fidei statuant, non *unam substantiâ*, sed plures ac diversas *in hypothesi* loquuntur. Vel igitur omnes illæ sunt in hypothesi illa una vera substantiâ fides, vel si non omnes, aliqua illarum. Atqui nec aliqua est, quia id pro se sola exclusis aliis heterodoxis, nequit probare argumento ex sua regula fidei desumpto, Ergo nulla. An igitur alienè quærit Scrutator?

Varia in hypothesi qualis?

VI. *Paulus eodem loco quo unam fidem prædicat, etiam unicuique gratiam datam esse docet secundùm mensuram doni Christi, quam mensuram fidei vocat alibi.* Gratia est mensura fidei subjectivæ, non objectivæ, seu fidei (ut Respondentis phrasi utar) *substantiâ* & *essentiâ*: hæc enim semper una substantiâ, illa juxta diversitatem subjectorum diversa. Quærit igitur Scrutator, quænam illa sit una fides *substantiâ*, quæ in diversis subjectis *secundùm mensuram doni Christi* est diversa simul subjectivè & accidentaliter.

Ut singulorum hominum hìc discrimen est, ita etiam cætuum esse potest variè. Hominum quidem quà hominum, atque eorum cætuum, sed non quà fidelium idque orthodoxorum. Nam de heterodoxis facilè concedimus, sed tum haud concedemus illos habere unam veram fidem substantiâ. Veritas enim semper est una & invariabilis, falsitas multiplex ac varia. Ita & Veritas fidei ac cætûs fidelium orthodoxorum est una nec varia, secùs falsitas fidei, ac consequenter cætûs falsæ fidei.

Potest sine omni salutari fide cætus quis habere quippiam, quod ad fidem salutarem requiritur tamen: quale est v. g. Canon certus, legitimus, & authenticus Librorum S. Scripturæ. Sed erit velut corpus sine anima, sine sole dies, nox sine luce; quia sine fide salutari vivificante una substantiâ adeoque de illo cætu dici poterit, quod nomen habet veri prætereaque nihil. *Bonum enim ex integra causa, malum ex singulis defectibus, & qui deliquit in uno, factus est omnium reus.*

VII. Denique negamus *in religione una seu cætu uno religionem hanc vel illam profitente solo, omnia illa existere*

stere vel etiam salutem æternam obtineri posse, nisi profiteatur unam veram fidem substantiâ.

Ut hominum quisque non *nôrit*, sed credat certò, (ad fidem enim non scientia, sed certa ac firma intellectûs adhæsio requiritur) unam veram fidem substantiâ ad *salutem requiri*, non est opus probare Scrutatori: cùm Salvator manifèstè pronuntiet: *qui non crediderit* (scilicet unâ verâ fide substantiâ) *condemnabitur*, & in symb. Athanasii Ecclesia, *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem &c. Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

VIII. Non *ergò habet, adhuc pro sufficienti Responso ad Quæstiones primas in 12. Postulatis omnes Scrutator*, ea quæ hactenus adduxit Respondens. Non enim requirit ab unoquoque certam cognitionem eorum quæ postulat, qualem Resp. supponit, sed qualem immediatè exposuit Scrutator, ut scilicet fidelis sit certus de veritate suæ fidei, eorumque omnium, quæ ad illius integritatem spectant, si non distinctè & explicitè, saltem implicitè & virtualiter, adeoque certus etiam sit de falsitate heterodoxarum religionum eodem modo implicitè & virtualiter saltem.

IX. Nec verò malè *quærit Scrutator, an illa omnia in 12. Postulatis habeant Dissidentes soli* scilicet sigillatim & distributivè sumpti, etsi non quærat *an habeant*? si enim quærit *an habeant soli*, indubiè quærit an habeant? sed cum addito *soli*. *Attinet* autem, *v. g. ex Reformatis quærere, an habeant illa omnia in religione sua, quæ veram religionem constituunt.* Rationem enim dubitandi facit illud ipsum unum Principium, quod assumunt pro ve-

ritate ſuæ fidei, quod æquè ſibi vendicant ceteri heterodoxi, ut toties dictum.

His præjactis Autor Judicii ponit Reſponſiones ad Poſtulata.

CAPUT III.

Reformantur Reſponſiones ad Poſtulata.

Reſponſio Autoris ad Poſtulatum 1. non ſatisfacit.

I. AD Primum dicit. *Omninò habent Reformati unicam, ſufficientem, & adæquatam fidei ſuæ Regulam, atque Judicem, Verbum DEI ſcriptum ſeu Sacram Scripturam.* Hæc Reſponſio.

Non ſatisfacit. 1. quia petitur Principium. Nam idem reſpondent Lutherani, Sociniſtæ, & ceteri quos rejiciunt diſſidentes ab illis, heterodoxi 2do. quia id quod aſſerit non probat. 3tio. quia non quæritur, an Reformati habeant, ſed an ſoli, ita ut cæteris non ſit appropriata, idque an poſſint probare argumento ex S. Scriptura, quo ceteri pro ſe jure uti nequeant. Ad quod nihil reſpondetur, adeoque committitur Ignorantia Elenchi.

Reſponſ. ad 2. Poſtulat. non ſatisfacit.

II. Ad ſecundum Reſpondet. *Habent Dei gratiâ certum, legitimum, & authenticum Canonem Librorum Scripturæ: verſionem verò quà verſio eſt, eſſe authenticū habent pro Contradictorio, quia authenticū eſt, quod authoritatem per ſe habet, verſionis autoritas, pendet à conſenſu cum textu originali.*

Non ſatisfacit. Ob eaſdem quæ immediatè allegatæ rationes. Additamentum circa verſionem non ſubſiſtit. Neque enim contradictorium eſt verſio authentica. Nam negatur authenticum eſſe duntaxat id, *quod authoritatem per ſe habet,* ſed etiam eſt id, quod autho-

thoritatem habet ab alio vim & poteſtatem aliquid autorizandi ſeu authentizandi habente, ſic literæ Regiæ ſunt authenticæ non præcisè quia lîteræ ſunt hoc vel illud continentes Privilegium, vel quid ejuſmodi, ſed quia à Rege ſubſcriptæ, ſigilloque Regio munitæ, manu inſuper Secretarij aut Notarij ſignatæ. Si porrò loquamur de tranſumpto ſeu Copia literarum Regiarum, illa valorem ſeu autoritatem ſuam per ſe multò minùs habet, etſi ſupponatur conſentire cum originali; ſed ab alio Vi & autoritate pollente autorizari debet, teſtimonio certo ac indubitato, quòd ſcilicet conveniat Copia ſeu tranſumptum cum ſuo Originali. Ita in præſenti verſionis Scripturæ S. quæ ſe habet per modum tranſumpti & copiæ, autoritas pendet à conſenſu quidem cum originali, ſed quòd ita defacto ſe habeat, quod nullus ſubſit error aut falſitas, autorizari debet ab eo, qui vim & poteſtatem altiorem habet autorizandi illam verſionē, teſtimonio quo fidem faciat, quod re vera conſentiat cum originali, atque tum primum erit verſio authentica, neque contradictorium ullum involvet, etſi non per ſe, ſed per alium autorizetur, vim, jus, & poteſtatem autorizandi altiorem habentem. Quis autem is ſit, cui tale Jus ac poteſtas competat, ſi porrò inquiras? reſpondemus Catholici, eſſe Eccleſiam Catholicam atq; in ea Vicariam Christi, in terris autoritatem habentem, ſummū Præſidem atq; Viſibile Eccleſiæ Caput. Adverſarij quod reſpondeant non habent, niſi tandem ultimò ad tot proprios privati ſpiritus ſenſus, quot capita recurrant. Repudiatâ enim Eccleſiâ, ejuſque uno Viſibili Capite, ſua propria ſubſtituêre in ejus locum; hinc tot inter il-

Unde Verſio debet dici authentica?

los religiones, Confeſſiones, dogmata ac ſententiæ, quot capita.

Reſponſio ad 3. Poſtul. non ſatisfacit.

III Ad Tertium Reſpondet. *Habent ſenſum, Interpretationem, expoſitionem ejuſdem S. Scripturæ Veram & legitimam in fidei ſuæ dogmatibus & articulis. Authenticam verò Interpretationē Scripturæ ſoli Deo tribuunt: proinde omnē ſuam Interpretationē ex Verbo Dej probant, Scripturam explicantes per Scripturam ipſam, ad exemplum Sacerdotum & Levitarum reducum ex captivitate Babylonica.* Nehem. 88.

Non ſatisfacit, tum quia nihil reſpondet, niſi quod reſponderent & Lutherani, & ceteri heterodoxi. Tum quia id quod aſſerit, non probat. T. q. non reſpondet ad propoſitum. Hinc ſupranominatæ fallaciæ petitionis Principij & Ignorantiæ Elenchi committuntur.

Id quod addit de Authentica Interpretatione, non convincit. Nam hæc ſecundùm ſe & quoad ſe ſpectata ſoli DEO tribuenda; ſed non per reſpectum ad nos. Etenim cùm nemo noſtrum ordinariè immediatè cum Deo ipſo loquatur, nec certificari poteſt immediatè à DEO de vera interpretatione Scripturæ. Unde neceſſe eſt, ut aliunde certificemurde illa immediatè, per aliquem ſcilicet, qui ſit velut Viearium Os Dei & interpres mentis Divinæ, qui à Deo ſibi communicatam & delegatam autoritatem & poteſtatem habeat Interpretationem ac ſenſum Verbi Divini authentizandi. *Omnem* inquit Reſp. *ſuam Reformati Interpretationem ex Verbo DEI probant, Scripturam per Scripturas explicantes.* At verò de hoc ipſo quæritur, an hic modus ſit unicus, & legitimus Scripturam interpretandi? Ubi de hoc Scriptura teſtatur? Quoad Exemplum de Nehemiâ adductum, fallitur Reſp. neque enim

enim ille fecit Interpretationem Scripturæ per Scripturam, sed merè & simpliciter Verba Legis interpretatus est eo sensu, quo à Majoribus explicatam Legem & quem à Spiritu S. tanquam Propheta populi inspiratum cælitùs accepit, id quod legenti dictũ Cap. 8. Nehem patebit. Deinde quæritur de hac ipsa Scripturæ per Scripturam interpretatione an recta sit? annon solùm apparenter vera? Quidsi alius hanc Scripturam per hanc Scripturam alio diverso sensu explicet? uti defacto contingit inter Dissidentes Neo-Evangelicos quod ostensum in Scrutinio Verit. Fid. Discur. 1. & aliàs. Unde igitur tibi constabit, quòd tua interpretatio sit authentica? alterius secùs? Quod tu in hac interpretatione non fallaris, fallatur alter? Ad hæc Unde tibi certò constat quòd ad hanc Scripturã interpretandam non alia, nisi hæc quâ tu uteris adhibenda sit Scriptura? Hæc ipsa electiô & collatio hujus Scripturæ ad hanc Scripturam interpretandam fit à teipso. Quidsi alius aliam adhibendam censeat, prout nimirũ quisque in suo sensu abundat? Quis hic diremtor litis? quis Judex? Denique sequitur, quod talis interpretatio rationem authentici habeat à teipso, qui illam adhibes? quia non à DEO ipso per se & immediatè, nec per suum Angelum. Unde enim constat Deum tibi per se immediatè, vel per Angelum suum hanc interpretationem revelasse? quid si alter oppositam interpretationem adferens, etiam dicat, illam se à DEO vel per Angelum immediatè revelatam habere? Unde item tibi constat, quòd illam potiùs habeas ab Angelo vero, & non potiùs à transfigurante se in Angelum lucis, Angelo tenebrarum? Non igitur certò & indubitatò

bitatò asserere potes te illam Interpretationem habere à Deo immediatè & per se, vel per Angelum. Non etiam illam habes ab alio autoritatem interpretandi habente: quia talem dari negas. Ergò à temetipso: neque enim datur quisquam ultra, à quò posset haberi: si autem à temetipso, Ergò erit fallibilis & incerta, ergò non authentica? Ergò potiùs ab Ecclesia Catholica petenda, id quod nos dicimus.

Responsio ad 4. Postulat. IV. Ad Quartum Postulatum. *Habent*, inquit, *Ecclesiam Christi, Veram, Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam i. e. pars sunt & hoc tempore, quoad fidei dogmata & articulos DEI gratiâ pars purior Ecclesiæ Christi veræ &c. Nec enim sumus ita absurdi, ut solam Reformatam quæ dicitur speciatim & à quo tempore dicitur, statuamus esse Catholicam i. e. Universalem Ecclesiam: vel temerarij ut damnemus, quotquot extra ejus communionem externam vivunt. Quamvis neminem adultorum servari credamus, quin fidem eandem in fundamento saltem teneat, quàm tenent Reformati, & debere quoscunque etiam ad externam eorum communionem accedere.*

Non satisfacit. Non satisfacit. Propter easdem sup. memoratas rationes ad 1. Postulatum. Ea quæ adjicit nihil faciunt ad rem: Tum quia idem Lutherani, ac ceteri heterodoxi de se dicere possunt. Tum quia, unde illi hæc prærogativa præ ceteris, quod Reformati sint pars purior Ecclesiæ Christi veræ? Tum quia, dum non vult Reformatos esse absurdos non effugit absurdum, quia incidit in contradictorium. Etenim & *non sola Reformata erit Catholica Ecclesia*, ut ipse concedit: & sola erit; quia statuit *neminem adultorum servari, quin fidem eandem saltem in fundamento teneat, quam tenent Reformatæ*

formati, & debere quoſcunque ad externam eorum communionem accedere. Ubi iterum alia exſurgit Contradictio, quòd nimirum, & *debeat quisque accedere ad eorum communionem externam*, ut aſſerit; & non debeat, quia concedit *quemque adultorum ſervari poſſe, ſi teneat fidem in fundamento ſaltem, quam ipſi tenent.* Etenim externa communio non eſt fundamentum fidei per Reformatos: ſiquidem veram Eccleſiam in interna ſolùm fidei profeſſione, adeoque & communione ſtatuunt. Modò igitur quis internam profeſſionem atque communionem fidei teneat, tenebit fundamentum fidei, adeoque non tenebitur *accedere ad externam eorum communionem.* Tum quia non conſtat, quodnam ſit illud fundamentum fidei, quod quiſque cum Reformatis tenere debet, ut ſit in Eccleſia Catholica? Tum quia quid ſi heterodoxi v. g. Sociniani aliud oppoſitum fundamentum fidei ponant, ſicut defacto ponunt quoad articulum de fide Trinitatis, & Divinitatis Filii DEI: quæro quod horum fundamentum erit certius, ut ei quis fidem ſuam & ſalutem infundet? præcipuè cùm æque hi, atque illi hocce ſuum fundamentum ex S. Scriptura demonſtrare contendant. Tum denique, quia cur in ſolo fundamento fidei quiſpiam cum Reformatis convenire debet, ut ſit in Eccleſia vera? & cur non & in aliis? præſertim quia *bonum ex integra cauſa* &c.

V. Ad Quintum Reſpondet. *Habent Reformati ſuæ fidei, ſeu Eccleſiæ certitudinem, etiam infallibilitatem, & perpetuitatem eam, ut de illius veritate certi ſint, in fidei ſuæ dogmatibus & articulis non errent,* &c. *Reſpondetur ad 5. Poſtul.*

Non satisfacit. Quia nihil ad quæsitum respondet, neque id, quod quomodocunque asserit, probat ac tandem idem sibi attribuit ac eodem jure Lutheranus Socinista, Quakerus &c. Frustra deinde infallibilitatem & perpetuitatem Ecclesiæ suæ attribuit meliore titulo ac jure, quàm eam Ecclesia Romana sibi adscribit. Etenim nunquam ostendet Resp. suam Ecclesiam habere eam, quam propriè ad essentiam Ecclesiæ verè Catholicæ requiri SS. Patres docent, præsertim Vincent. Lyrin. *Universitatem, antiquitatem, consensionem ut sequamur* (verba sunt Lyrinensis) *Universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab iis nullatenus sensibus recedamus, quos Sanctos Majores, ac Patres nostros celebrâsse manifestum est; Consensionem quoque itidem, si ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* At nunquid fidem Reformatorum *tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia?* Nunquid Reformati *sensus* sequuntur, *quos Sanctos Majores ac Patres nostros celebrâsse manifestum est?* qui nihil Majoribus, nihil Patribus in rebus fidei, totum Scripturæ, sed in rei veritate sub hujus prætextu proprio privato spiritui tribuunt. Nunquid illi *in ipsa vetustate omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque sectantur?* qui traditionem Ecclesiæ prorsus rejiciunt, per quam sententiæ & definitiones Magistrorum velut de manu in manum ad nos descendunt? Manifestum autem est Ecclesiæ Romanæ perpetuis temporibus ea omnia quæ Vincent. Lyrin. asserit ad amussim convenire: illa igitur veram infalli-

Hanc Reformati non habent.

infallibilitatem ac perpetuitatem hæreditario quodam jure verè possidet.

VI. Ad Sextum Postulatum ait breviter. *Habent puram Verbi DEI prædicationem: quamvis sciant cum Paulo se cognoscere ex parte & prophetare ex parte.* 1. Cor. 13. 9. *Respon. ad 6. Postulat. non satisfacit.*

Non satisfacit: quia nihil ad propositum respondet; neque enim id quod asserit probat, nec quidquam pro se toto dicit, quod sibi nequeant heterodoxi appropriare.

VII. Ad Septimum. *Habent*, inquit, *legitimam sacramentorum administrationem* &c. Non satisfacit ob easdem sup. memor: rationes. *Resp. ad 7. Postul.*

VIII. Ad Octavum. *Habent veros legitimè vocatos, ordinatos, missos, institutos Ministros Verbi DEI, qui hac pollent eminentiâ & autoritate, quòd legatione funguntur nomine Christi* 2. Cor. 5. 10. &c. Non satisfacit. Eisdem de causis. *Ad 8.*

IX. Ad Nonum. *Habent*, inquit, *qui à Communione Ecclesiæ Romanæ recesserunt primi Reformati, jus legitimum reformandi seipsos, etiam exemplo & doctrinâ reformandi quantum in ipsis fuit & alios. Et habent, qui ex ipsis oriundi jus legitimum in eadem reformatione persistendi, Ecclesiam, quam dicit Scrutator satis appositè (modò non sit oppositum in apposito) Catholico-Romanam curare voluerunt & velint etiamnum &c. Sed curari illa noluit, hinc non est sanata.* *Ad 9.*

Non satisfacit. Tum propter allatas jam sup. rationes, tum propter sequentia. 1. Dicit Resp. *Habuisse primos, qui à communione Ecclesiæ Romanæ secesserunt jus reformandi seipsos*: Ergonè illi primi Reformati, quos ad quartum Postulatum vocavit *partem Ecclesiæ Catholicæ* *Non satisfacit.*

licæ puriorem, egebant reformatione? fuerant ergò illi pars purior, ut ait: & non fuerant, quia reformationem admittere poterant. Deinde ordinariè reformatos se dicunt, eò quòd reformârint Ecclesiam Romanam, ergò & reformârunt illam, ut dicunt; & non reformârunt, quia potiùs seipsos reformârunt, ad quos *jus reformandi habuisse primos, qui à communione Ecclesiæ Romanæ recesserunt* asserit. Resp. Quin neque seipsos reformare poterant, quomodo enim reformâssent eos, qui à communione Ecclesiæ Romanæ recesserunt, quos eâ ipsâ de causâ pro parte puriore Ecclesiæ habet Respondens. Ad hoc dicit *exemplo & doctrinâ, jus reformandi legitimum habere etiam alios*. Atqui hoc ipsum negabunt alii. Negamus insuper eos *voluisse legitimè curare Ecclesiam Catholico-Romanam*, quam satis *appositè sine oppositione* ita vocari probatum in Scrutinio Veritatis fidei. Parte 2. Hæc eadem Ecclesia *curari à Reformatis noluit*, & meritò: neque enim Medicus malè, multò minùs rectè valens indiget curâ imperiti & imperfecti medici, qui proinde vulgò perfectus homicida dicitur. Ab Ecclesia certè potiùs Romanâ tanquam pia & bona de eorundem salute summè sollicita Matre curandi sunt hi refractarii & immorigeri filii, sed nolunt curari plerique, etsi curentur non pauci.

Resp. ad 10. Postul. X. Ad Decimum Postulatum. *Habent*, inquit, *Reformati Orthodoxum Evangelicum &c. Symbolum, cui nullus error, nulla subest falsitas, quod Apostolicum Symbolum etiam à Pontificiis vulgò dicitur. Habent item Confessiones suas, quibus ut nulla fraus, nulla falsitas, ita certè in dogmatibus fidei nullus error subest, orthodoxas, Evangelio, & Doctrinæ Catholicæ & Apostolicæ, consonas.*

Non satisfacit. Quia non est quæstio de Apostolico symbolo, sed de appropriato hujus scilicet Reformatæ religionis. Nam & Lutherani, & Sociniani, & cæteri Apostolicū symbolum habent, præter hoc tamen etiam suæ religionis propria & velut differentialia & ab aliis diversa, atque de his inquirit Scrutator. Id autem quòd de suis Confessionibus respondet sigillatim non convincit, tum quia idem respondent & alij de suis Confessionibus, tum quia id quòd de illis asserit non probat: ac proinde nihil ad propositum respondet, adeoque committit fallaciam Elenchi, & Petitionis principij.

XI. Ad Undecimum Postulatum. *Catechismus*, ait, *cæterique dogmatici vel symbolici Libri Reformatorum sunt tales, qui in se continent doctrinam sanam seu veram, piam, sanctam, Catholicam &c.* *Resp. ad 11. Postul.*

Non satisfacit simplex hæc assertio sine probatione, nec exhaurit quæstionem.

XII. Ad duodecimum denique respondet itidem affirmativè, *nec possibilem esse ullam aliam quæ adversetur doctrinæ Reformatæ doctrinam veram & orthodoxam ex eadem S. Scriptura deductam* &c. *si vel nos ipsi, vel Angelus è cælo evangelizaverit* &c. *Resp. ad 12. Postul.*

Non satisfacit. Tum quia totum id sibi appropriant Lutherani, Sociniani & cæteri heterodoxi: tum propter alias prænominatas Causas. *Non satisfacit*

XIII. Concludit. *Hæc ergò omnia cùm publicè notum, etiam totum ferè per se notum sit sentire de religione sua Reformatos, & non posse non sentire; quàm alienè de his quæsierit Scrutator, est in propatulo* &c. Verùm negamus hoc totum publicè, adeoque & per se notum esse. Sola pri-

ma Principia à doctis docentur per se nota esse, quæ autem ex illis deducta per aliud scilicet per illa ipsa prima principia, per Inductionem &c. nota. Negamus autem doctrinam Reformatorum habere sese velut prima fidei principia, quin neque velut deductum ex illis. Est itaque in propatulo non aliene quæsivisse Scrutatorem; cujus *quæstiones* pro *operosis* habet Respondens: sint sanè operosæ vel ideò, ne in re salutis oleum & operam perdamus, falsam pro vera fidem & religionem prætendendo.

CAPUT IV.

Reformatio Num. 2. An Scrutator Probationes à Dissidentibus postulet iniquè?

I. ADstruit id audacter Respondens Num. 2. dicens. *Etiam Probationes postulat iniquè, ne tamen quid dissimulet*, addit modificando crudè prolatam propositionem, *non planè iniquè: æquum enim satis esse*, ait, *quòd ex suæ fidei regulâ probationes postulet. Item quòd apodicticum argumentum ex eadem fidei regulâ requirat.* Hæc & alia quæ hic è sensu suo intermiscet, non moror. Venio ad Rationes, quibus probare conatur, quòd Scrutator Probationes postulet iniquè.

Scrutator Probationes nō postulat iniquè.

II Prima Ratio ejus est. Nam 1. ait, *quo jure postulat ille Probationes à nobis: postulare est jure exigere: Quid illi in nos Juris?* &c.

Ratio Respondentis in contra non satisfacit.

Non Satisfacit. Respondet enim Scrutator se ipso jure naturæ intellectualis, quâ Homo essentialiter constituitur, illas probationes postulare. Etenim quia

naturaliter Homo, ut Arist. ait, *scire desiderat*; nihil aliud autem quàm veritatem; objectum enim intellectûs humani est ipsum verum: Et quia veritas fidei homini scitu summè est necessariâ, ab illa enim pendet æterna salus, dicente Domino, *qui non crediderit, condemnabitur*; Matth. ult. & D. Paulo; *sine fide impossibile est placere Deo*: tot autem diffidentes à Catholica Romana, & inter se religiones asseverant sigillatim unaquæque pro se in sua religione reperiri veritatem fidei, ita ut omnes eidem principio scil. S. Scripturæ soli, exclusa Ecclesiæ autoritate infundent suas veritates fidei: has autem ipsas velut Conclusiones ex illo uno eodemque principio, diversissimas & planè oppositas de eodem objecto fidei deducunt. Et quia insuper veritas solùm una essentialiter de uno eodemque objecto necessariò esse debet, præbetur Intellectui humano ratio dubitandi, an videlicet omnium & singularum illarum religionum uni illi principio suas fidej Veritates infundantium, illæ ipsæ sint omnes verè reapse, & non solùm apparenter veræ? annon potiùs una ex omnibus talis esse debeat, ceteræ secùs? an si neque hæc neque alia; sequatur quòd nulla illarum sit vera? annon proinde omnes in illo unico primo principio fallantur? annon aliud insuper principium assumendum foret, in cujus concursu, tum primum reapse nec apparenter duntaxat veræ fidei veritates pullulascerent? ac tandem quodnam illud ipsum sit?

III. His igitur Intellectus humanus perpensis rectè & jure inquirit. Ubinam seu in quanam religione Dissidentium sit illa unica, indivisa, infallibilis veritas fidei? Quodsi id Intellectus rectè & jure inquirit? rectè

quo-

quoque & jure requiret probationes hujus ab eo, qui asseverat in sua religione reperiri illam unicam, indivisam, veritatem fidej uni principio sese infundantem. Intellectus enim seriò ut par est, veritatem inquirens non redditur contentus simplici assertione, sed vult etiam nôsse rationes, adeoque probationes asserti, idque non qualescunque sed convictivas, apodicticas, aliàs non rationabiliter nec prudenter assentietur illi veritati, de qua est quæstio.

Ad hanc igitur Primam Rationem Respondentis dicit Scrutator se ipso jure Intellectûs Humani veritatem fidei, quæ unica solùm esse debet ad æternam salutem consequendam, & postulata jure proponere, & eodem æquo jure, adeoque non *iniquè* probationes postulare.

Quod ait ex S. Petro. *Petenti quæ in nobis est spe semper paratos nos esse debere ad reddendam rationem :* non autem *postulanti :* parùm certè aut nihil differt *postulare* à *petere* : cum passim ex grammatica phrasi perinde sit dicere *peto à te* hoc vel illud atque *postulo*, nisi quod *postulare* sit majorem in modum petere.

Fatetur Scrutator se *proponere Postulata* & *probationes postulare*, ut ad oculum omnibus Dissidentibus ostendat, nullitatem eorum Religionum & Confessionum, idque ex uno eodemque principio fidei, quod omnes & singulæ contra Romanam Ecclesiam assumunt : neque ideò *iniquè postulat probationes.* Ipse enim sufficienter probat nullitatem illarum in ipso Scrutinio. Quodsi aliquarum illarum, v. g. Reformata negat sequi illam nullitatem suæ religionis, incumbit illi suapte naturâ,

ac de jure onus necessariò hoc ipsum probare. Annè igitur Scrutator Probationes postulat iniquè?

2da. Ratio Respondentis, quia inquit. *Vel vult ut probemus nos solos habere illa, quæ commemoras omnia, vel nos habere ista, vel utrumque* &c.

Non satisfacit. Vult enim Scrutator utrumque scil: ut Dissidentes v. g. Reformati probent se *ea & omnia habere*, & *solos*. Neque hoc utrumque postulando *bis peccat*, quin ut benè animadvertit ipse Respondens, *uno ictu probationes omnes, & quæ datæ sunt hactenus, & quæ dari possent ex Scriptura prosternere per probandi modum singularem, quem* pro rei æquitate, *præscribit*, *voluit*, & de facto prosternit: nequicquam repugnante *repulsione ictûs* Respondentis Num 3. hinc sequitur.

CAPUT V.

Reformatio Num. III. An Scrutator Probationes præscribat temerè?

UT Respondens Judex nullas pro suis Assertis adferat Probationes, quin nec teneri se ad easdem demonstret, non tantùm Scrutatori iniquitatem in *petendo probationes* affingit, sed & in *præscribendo* appingit *temeritatem* satis audacter, ne dicam temerè. Nam Num: III. *Præscribit*, inquit, *temerè*, (supple) *probationes*: *Nempe ut probent sua Dissidentes quique tali argumento, quod illis solis, nec ulli alteri diversæ religioni seu sectæ quam reijciunt, conveniat, serviatque.*

Scrutator Probationes non præscribit temerè.

Ratio est, *quia*, inquit, *Postulavit Scrutator argumentum apodicticum i. e. verè demonstrativum*: *Ergò tale quod*

 nulli

nulli alteri conveniat: ad quid ergò insuper postulatur tertiò, ne argumentum conveniat aliter sentientibus. Duo contradictoria non possunt simul esse vera. Ergò nec unum idemq́ argumentum convenire, servireque potest probandæ Veritati duarum sententiarum contradictoriarum &c.

Ratio ejus non satisfacit. Non satisfacit. Quando enim Scrutator requirit argumentum apodicticum, requirit simul tale, quod nulli alteri conveniat, hocq́ue argumentum quod tertio loco ponit, non vult esse diversum ab illo, sed cum tali emphasi & energiâ, ut illud nullo jure competat heterodoxis seu aliter sentientibus: benè enim Scrutator novit heterodoxos eodem principio, ut toties repetitum, probare suas Conclusiones seu articulos fidei: nempe, S. Scripturâ, adeoq́ue idem sibi jus usurpare ejusdem argumenti: benè etiam novit duo contradictoria non posse simul esse vera: nec unum idemq́ue argumentum convenire servireq́ue posse probandæ Veritati duarum sententiarum contradictoriarum: sed quia ut dictum toties, omnes & singuli Diffidentes in probandis Veritatibus suarum sententiarum ad unum idemq́ue recurrunt principium, ad hoc tandem illos deduci absurdum evidenter demonstrat, ut admittant duo contradictoria simul esse vera: quia contradictorias Veritates ex uno eodemq́ue principio probare nituntur v. g. de SS. Trinitate Personarum in Divinis, Lutherani & Reformati affirmativam, Socinistæ, Mennonistæ, Quakeri negativam. Similiter de Persona Christi D., de Sacramentis, ceterisq́ue fidei articulis; vel si nolint hoc tanquam absurdum admittere, coguntur concedere unum illud idemq́ue argumentum convenire servireq; probandæ suæ duntaxat

taxat Veritati. Atqui hoc ipſum negant contradictoriam ſententiam tenentes: Igitur incumbit illis probare illud argumentum talis eſſe energiæ, ut haud conveniat aliter ſentientibus. Non igitur temerè, ſed conſideratè & rationabiliter præſcribit probationes Scrutator.

Nullum, quidem *mendacium eſt ex Veritate* 1. Joan. 2. 21. per ſe & directè, poteſt tamen eſſe per accidens & indirectè, ſi ſcil. Veritas non rectè prout oportet proponatur, aut applicetur. Atque id faciunt Diſſidentes in applicanda Veritate S. Scripturæ.

Argumentum, Scrutator, *requirit*, *quod non conveniat aliis* non *quomodocunque*, ſed ſimpliciter & abſolutè. Nec *requirit Argumentum præliminare & generale* tantùm, ſed *ſpeciale proximum* & proprium, quod non deberent quidem ſibi plures appropriare, cùm diſſentiant in Concluſionibus, de facto tamen appropriant.

Denique benè advertit Reſp. vel hic benè oculatus, *quò tandem tendant Poſtulata Scrutatoris tertia de argumento, quod convenire non poſſit Religionibus aliis*; *nempe ut doceatur ex Scriptura unica fidei Diſſidentium regulâ argumentum ſufficiens pro religionis* (non cujuſcunque, ſed cum addito illorum ſcil., qui eam exclusâ Eccleſiæ Catholicæ autoritate pro ſuæ religionis unica regula & Judice admittunt) *Veritate peti non poſſe.*

Neq; verò hinc ſequuntur rectè ea, quæ Reſpondens Opponit 1. Quòd *malè cohæreant poſtulata illa tertia cum ſecundis.* Nam fallitur opinione ſua; adeoque reformandus ac corrigendus eſt illi ſenſus & ſententia. Exiſtimat enim *quòd in tertiis poſtulatis requirat Scrutator Argumentum quod non ſit ex Scriptura*, tanquam unica

Poſtulata illa tertia non malè cohærent cum ſecundis.

Diſſidentium fidei regula. Id enim ſe velle expreſsè teſtatur hac adjectâ energiâ, ut tale ſit, quod non conveniat heterodoxis. Neque hinc ſequitur Scrutatorem *poſtulare prius argumentum per ludibrium, poſterius ſeriò, vel per ludibrium utrumque.* Sed ſeriò utrumque & re vera, ut ſi nimirum poſſit quis illorum id efficere, efficiat. Sin ſecùs, optat æquè ſeriò nec per ludibrium, ut verè videant & agnoſcant Diſſidentes illo uno principio utentes ſe opinione ſua deluſos eſſe, ac tandem non rideant; *DEUS enim non irridetur*, ſed *redeant ad cor*, apprehendantque alterum Principium fidei omninò neceſſarium ad ſalutem nim. Eccleſiam regulantem, proponentem, explicantem, applicantemvè illud Principium, illam Regulam ad regulata ſeu Concluſiones, atque articulos fidei in particulari.

Diſſidentes unum idemquè argumentũ fidei habent generale & ſpeciale.

Opponit 2. Reſp. dicendo. *Det nobis Scrutator modum ullum probandi Veritatem religionis cujuſcunque, cujus argumentum præliminare, generale, primum, Sectatores aliarum religionum appropriare ſibi non poſſint.* Verùm & hic reformandus Reſp. errat enim exiſtimans à Scrutatore requiri modum aliquem probandi religionis Veritatem, *cujus argumentum præliminare generale* ac *primum* Sectatores aliarum religionum ſibi non poſſint appropriare. Id autem Scrutator non agit. Sed cùm certum ſit omnes Diſſidentes non alium habere modum probandi ſuæ religionis Veritatem, quàm argumento quod apud omnes non tantùm eſt, ut Reſp. vocat *præliminare, generale ac primum*, ſed etiam *ſpeciale, proximum, & proprium* nim. ipſa S. Scriptura: neque enim ullum aliud habent *ſpeciale, proximum ac proprium* præter hoc, vel ſi habent proferant illud? Igitur ex

hoc

hoc Argumento & *generali* ſeu *præliminari ac primo*, & ſimul *ſpeciali, proximo*, ac *proprio* eos oppugnat Scrutator, ut probent Veritatem ſuæ religionis v. g. Reformati Argumento non tantùm *generali* & *præliminari*, ſed & *ſpeciali* ac *proximo*, *quod non poſſint ſibi appropriare heterodoxi*. Si enim v. g. Reformati habent aliquod *ſpeciale* & *proximum* Argumentum, præter illud *generale* ac *præliminare*, deberet eſſe tale, quod nulla alia oppoſita religio ſibi appropriare poſſet; aliàs, & eſſet, *ſpeciale* ac *propriū* illius religionis ut ſupponitur, & non eſſet quia etiā alterius oppoſitæ religionis eſſet *proprium* & *ſpeciale*. Quia verò Diſſidentes omnes, & ſigillatim Reformati nullū aliud & *generale ſeu præliminare*, *&* *ſpeciale ſeu proximum ac proprium* habent argumentum, quàm eandem S. Scripturam Regulam & regulantem, ſeu judicem; fit, ut nulla Diſſidentiū, nec Reformati, uti poſſint illo ad probandā Veritatē ſuæ fidei, quin eodem alia oppoſita heterodoxa religio ad probandam oppoſitam Veritatē ſuæ fidei, uti poſſit. Atq; exinde infert Scrutator ſummum abſurdū, quod aut omnes Diſſidentes religiones debeant eſſe veræ, debeantq; ea omnia illis competere, quæ in 12. Poſtulatis proponit, aut ſi hoc neges, nulla illarum Vera: id quod toties jam demonſtratū, & quod hic & nunc, ne crambem recoquat, haud repetit.

Concedit Reſpondenti Scrutator, quòd *in generali ſeu præliminari argumento convenire poſſint diverſæ*, atque etiam oppoſitæ *religiones*, at non in *ſpeciali*, *proprio* ac *proximo*; & ſi in hoc etiam conveniant, neceſſariò debent & in Concluſionibus ac Veritatibus in particulari fidei convenire, adeoq; jam non erunt diverſæ ac oppoſitæ religiones. Quodſi adhuc in Concluſio-

nibus disconveniant, provenit id ex eo, quòd illud *speciale*, *proximum* ac *proprium* argumentum non est illud, quod ex natura rei esse debet, adeoque debet aliud dari in quo conveniant, conclusionesque inter se convenientes ex eo inferantur. Atque ita cùm Dissidentes conveniant quidem in argumento fidei generali & speciali simul uno eodemque, scil S.Scriptura, disconveniant autem in Conclusionibus fidei, necessariò sequitur, quòd non hoc, sed aliquod aliud *speciale*, ac *proximum argumentum* fidei esse debeat; in quo si conveniant non est dubitandum, quin & in Conclusionibus fidei consensuri sint. Id quod videre est in Cathol. Romana Ecclesia; in qua *primum*, *generale*, ac *præliminare* argumentum fidei est *Revelatio DEI primæ & essentialis Veritatis*: *secundum* autem *speciale*, *proprium*, ac *proximum* est Ecclesia Catholica velut os DEI proponens revelationem DEI, docensque hoc, vel illud revelatum à DEO, vel non revelatum. In hoc utroque argumento seu Principio fidei convenimus omnes Catholici, ac propterea convenimus etiam in Conclusionibus fidei, uti declaratum est in Scrutinio Veritatis Fidei Parte 1. pag. 88. in schemate 2. sigillatim.

Opponit 3. Resp. *Christus D. non alio argumento usus est cum Sathana disputans quàm S. Scripturâ, & tamen Sathan etiam eodem usus est. Unum erat argumentandi principium Christo pariter & Sathanæ istud Quod Scripturæ est consonum id licet: sed quod notandum est*, inquit, *benè subsumebat Christus, malè diabolus &c. Ita argumentantur ex Scriptura orthodoxi suâ sponte, & amore Veritatis ac rectè subsumunt, secùs heterodoxi.* Hæc oppositio.

Non

Non ſatisfacit, hinc reformanda. Chriſtum D. concedit Scrutator non alio argumento uſum eſſe, quàm S. Scripturâ, eodemque uſum eſſe & Sathanam. Concedit utriusque principium pariter fuiſſe *Quod Scripturæ eſt conſonum id licet*, ſed reflectat ſe Reſpondens ad id, quod videlicet illud Principium ſeu argumentum fuerit *generale primum*, ac *præliminare*, ut ejuſdem terminis utar; cui aſſociari debet aliud *ſecundum ſpeciale, proximum* ac *proprium* : ex quo patere poſſit quiſnam illorum benè, quis malè ſubſumat, concluſioneſque rectas vel non rectas inferat. Etenim poſito hoc principio. *Quod Scripturæ eſt conſonum, id licet*; ſubſumi poteſt, Atqui *hoc vel illud Scripturæ eſt conſonum*. De hac ſubſumpta Minori quæſtio eſt, an ſi bonum ſeu rectum ac Verum, necne? ut tandem ſequatur recta ac vera Concluſio, Ergò *hoc vel illud licet*. Ut igitur ſit bonum, rectum, ac Verum ſubſumptum, debet dari aliquod ſpeciale, proprium, ac proximum principium ſeu argumentum; quô diſcernatur hoc quidem ſubſumptum eſſe bonum ac Verum, illud malum ac falſum. *Diabolus* itaque *malè ſubſumebat, Chriſtus D. benè*, non ideò præcisè, quia ut ait Reſp. *Chriſtus D. utebatur illo ſponte ſuâ, diabolus inductus exemplo Chriſti*. Sed quia Chriſtus D. ipſemet tanquam infallibilis Divina incarnata Veritas erat principiũ proximum, ac ſpeciale applicans illud principium primum ac generale S. Scripturam ad ſubſumptum & Concluſionem: Diabolus autem ſecùs, ſemetipſum enim tanquam *Pater mendacij*, ſuumque proprium perverſum ſenſum & judicium ſtatuebat pro ſecundo proximo, & proprio principio; hinc ille malè, Chriſtus D. benè ſubſumebat.

Chriſtus D. & Sathanas non eodem ſpeciali & proprio argumento uſi.

Idem

Idem dicendũ de orthodoxis & heterodoxis.

Idem planè dicendum de orthodoxis & heterodoxis. Illi argumentantur ex Scriptura, & hi æquè: illi rectè subsumunt ac concludunt, hi secùs: non ideò præcisè quia, ut ait Resp. orthodoxi *sua sponte & amore Veritatis* id faciunt: nam & heterodoxi de se testantur, quod *non coactè*, nec *inducti exemplo*, sed *suâ sponte amoreque Veritatis* subsumant, & concludant suæ fidei Veritates. Sed quia illi non sistunt in illo *primo ac generali principio*, nempe revelatione DEI in S. Scriptura, sed adhibent & aliud *secundum*, *speciale* ac *proprium* seu proximum, nimirum. *Hoc vel illud revelationem esse DEI in Scriptura proponit ac docet Ecclesia Catholica*: hinc fit, ut orthodoxi ut benè subsumunt, ita benè concludant. Jam, autem heterodoxi hoc respuunt principium, sed unum idemque primum, generale æquè ac secundum, & speciale volunt esse S. Scripturam, aut veriùs suum proprium sensum & judicium privatum pro secundo ac speciali principio supponunt: si enim quæram unde tibi constat, quòd hoc vel illud est revelatio DEI in Scriptura? recurrunt vel ad Spiritum privatum, vel ad explicationem Scripturæ per aliam Scripturam, vel ad investigationem thematum, vel ad consequentias &c. quæ omnia nihil arguunt, nisi proprium cujusque ac privatum Spiritum, scientiam, applicationem, eruditionem, atq; ingenium seu, ut ait D. Augustinus, *autorem cujusque animum, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet* cont. Faust. Lib. 32. c. 19. Qui autor animus quàm diversus est, tam etiam diversa sunt subsumpta & Conclusiones, ac Confessiones fidei, hinc fit, ut orthodoxi quidem, ut dictum benè, heterodoxi verò malè & subsumant, & concludant.

CAPUT VI.

Reformantur reliquæ Respondentis Oppositiones.

POst has oppositiones *falsissimum* ait Resp. *esse, quòd in fine ex vitiosa illa appropriatione necessarium hoc consequens fluere asserit,* (supple Scrutator) *Vel omnium esse veram Apostolicam atque Evangelicam religionem ac doctrinam, quia nulla est, quæ non adscribat id sibi argumento ex Scriptura S. unica omnium fidei regula & norma, desumpto, aut si hoc tanquam absurdum & inconveniens nolis admittere, utpote ex quo consequatur quædam confusio plus quàm Babylonica, cogaris concedere, nullam esse veram, Apostolicam, & Evangelicam, quia nulla id pro se sola demonstrare potest argumento certo & apodictico ex eadem S. Scriptura tanquam Universali & communi regula fidei, quin eodem aut simili ex eadem fidei regula pro se utatur alia.*

Illatum Scrutatoris, quod vel omnium Dissidentium doctrina & Ecclesia sit vera vel nulla &c.

Contra hoc Scrutatoris Illatum.

Opponit 1. Resp. *Falsò, & ex parte contra conscientiam supponit pro fundamento suæ collectionis omnium illarum, quas nominavit initio & communi Neo-Evangelicorum nomine malè complexus est Religionum, unicam fidei regulam & normam esse S. Scripturam: quod ne quidem ex hypothesi singularum, quas recenset religionum, verum est.*

Contra quod Opponitur 1.

Sed contra reformanda falsa opinio Respondentis. Totum enim id quod asserit, negatur à Scrutatore.

Sed Non satisfacit.

Probat Resp. *De Quakeris enim*, inquit, *retulit ipse Postulato 5. quòd S. Scripturam pro regula secundaria, spiritûs S. verò internam revelationem pro primaria habeant.*

Reformatis eadem est Regula fidei, quæ Quakeris.

Atqui hoc ipsum in re tenere Lutheranos, Reformatos, & ceteros heterodoxos demonstravit Scrutator Scrutinij *Verit. Fid.* Parte I. Disc. X. Reflex. 8. de Reformatis sigillatim ibid. pag. 103. & seq. Confessio enim illorum Gallica artic. 4. sic habet. *Hos libros* (Scripturæ) *agnoscimus esse Canonicos, ut fidei nostræ regulam & normam habemus; idque non tantùm ex communi Ecclesiæ consensu, sed etiam multò magis ex testimonio & intrinseca Spiritûs S. persuasione, quâ suggerente docemur illos ab aliis Libris Ecclesiasticis discernere.* Hinc infero apud Reformatos *Spiritûs S. testimonium seu persuasio*, est *primaria fidei regula, S. Scriptura secundaria*: quia hæc resolvitur in illam: dicunt enim se *Libros Scripturæ Canonicos agnoscere, ex testimonio & intrinseca Spiritûs S. persuasione.* Nam *propter quod unumquodque tale & ipsum magis.* Atqui per Reformatos propter *testimonium & intrinsecam Spiritûs S. persuasionem* Libri Scripturæ Canonici, adeoque Canon seu Regula fidei esse agnoscuntur. Ergò ipsa *intrinseca Spiritûs S. persuasio* est multò magis pro regula fidei agnoscenda: Ergò consequenter per Reformatos hæc ipsa *intrinseca Spiritûs S. persuasio* est *prima* ac *primaria* fidei regula: *subordinata* autem illi & *secundaria* Scriptura S. quòd enim hæc sit Canonica, quodve regulativa fidei, habetur ab illa. Ergò à primo ad ultimum Reformati idem sentiunt cum Quakeris: etenim: *Spiritûs S. interna revelatio*, & *intrinseca Spiritûs S. persuasio*, parum aut nihil verbis & re differunt. Atqui illud Quakeri, hoc verò Reformati dicunt. Ergò. Hoc verò ipsum Reformatis demonstrat Quakerus Rob. Barclajus suæ Theologiæ pag. 36. ut notatum habes in Scrutinio Ver. Fid. ad Errata in Omisso ad pag. 104.

Oppo-

Opponit 2do. *Vitiosa est hæc Collectio: Religiones variæ ex Scriptura tanquam unica fidei regula argumentantur, Ergò vel omnes vel illarum nullæ sunt veræ.* Sed contra. Negatur hanc esse vitiosam collectionem. *Opponitur 2.*

Probare contendit Respondens sumpto à pari Argumento pluribus Instantiis. Quæ singulæ hìc pro æquo discutiendæ & reformandæ.

1. Instantia est: *Pari enim,* inquit Resp. *ratione collegeris. Quia Christus & Diabolus ex Scriptura tanquam regula faciendorum, uterque sunt argumentati: Ergò (absit dicti blasphemia!) vel utriusque sententia fuit vera, vel neutra.* Sed contra. *Paritas de Christo D. & Sathana.*

Non convincit. Ex dictis enim immediatè præcedente §. ad 3. oppositionem patet, S. Scripturam non æqualem fuisse regulam seu principium fidei Christo D. & Diabolo, adeoque neque utriusque neque neutra sententia fuit vera, sed unius nim. Christi D. Veritatis æternæ vera, Diaboli utp. Patris mendacii falsa. *Non convincit.*

2. Instantia. *Quia Christianus & Turca ex eodem generali principio Divina nempe origine religionis tanquam omnis religionis suprema regula argumentatur. Ergò vel Christianismus & Turcismus pariter est vera religio vel neuter est.* Sed *2. De Christiano & Turca.*

Non convincit. Nam negatur inprimis, quòd *Christiano & Turcæ generale principium sit, Divina origo religionis.* Negatur etiam quòd eadem sit *suprema regula omnis religionis:* inter omnes enim religiones sunt Idololatricæ, superstitiosæ, falsæ, hæreticæ, Schismaticæ &c. quarum negamus supremam regulam seu principium esse, *Divinam originem religionis. Origo* enim *Divina* est ipse DEUS Pater, *fontalis origo* omnis Entis tam increati, *Non convincit.*

quàm creati, qui quo pacto citra blasphemiam, dici potest esse origo Divina religionis idololatricæ, falsæ, hereticæ &c. nisi fortè è Calvini Doctrina, quâ DEum facit autorem omnis mali, quam ut blasphemam & minimè tolerandam à doctis beneve sentientibus proscriptam repudiamus. Aliud certè principium omnis mali, adeoque religionis falsæ Christus D. indigitavit, cum dixit Pharisæis & malis Judæis: *Vos ex Patre Diabolo estis.* Non igitur subsistit Instantia. Et concesso etiam eodem principio utriusque Christiani & Turcæ generali & primo, ostendimus adhuc Christianum aliud habere principium speciale, secundum, ac proprium à Turca, propter quod subsumet rectè ille, hic malè.

3. De litigantibus ex volumine legum.

3. Instantia. *Ex volumine legum seu Constitutionum Regni tanquam unica Regula Juris publici, utraque pars litigantium in foro Civili probare nititur causam suam. Ergò vel utriusque partis causa est justa, vel neutrius.*

Non convincit.

Non convincit. Concedimus enim è volumine legum &c. tanquam Regulâ Juris publici utramque partem litigantium causam suam probare posse, verum ita ut causa indecisa, atque indefinita maneat, sitque neutra justa, neutra injusta tamdiu, donec accedat Judicis sententia pro hac vel illa parte: quâ accedente palàm fit, quænam illarum sit justa, quæ injusta. Volumen itaque legum habebit se per modum principii præliminaris, primi ac generalis, Judex verò interpres legis per modum principii specialis, proximi, & secundi. Unde ex hac Instantia potiùs pro nobis sumi potest argumentum: Inter litigantes partes in foro civili causa justa vel injusta tādiu indecisa manet, quam-

quamdiu præter volumen legum tanquam primum ac præliminare Principium & regulam Juris non accesserit secundum, speciale, ac proximum principium seu regula: nim. Judex. Ergò eodem modo etsi ex volumine Legis Divinæ S. Scripturæ Dissidentes inter se religiones tanquam ex regula & principio fidei, præliminari ac generali Veritates suas probare nituntur, tamdiu tamen indecisæ manebunt, quamdiu non accesserit principium immediatum secundum, ac proximum definiens ac decidens pro hac vel illa parte: quod nos dicimus esse Ecclesiam Catholicam cum suo Visibili Capite & Præside: aliàs omninò sequitur illatio nostra quod vel utriusque erit vera doctrina seu religio, vel neutrius.

4. Instantia. *Philosophorum sectæ omnes sua philosophemata confirmant ex ratione tanquam unica philosophandi regula.* *4. De Philosophorum sectis.*

Non convincit. Etenim illa ratio est regula seu principium philosophandi præliminare primum & generale: secundum autem & speciale est ipse Magister Philosophiæ, qui autoritativè præest discursibus philosophorum, oppositasque sententias componit suâ definitivâ sententia. Sic Aristotelici præter rationem sequuntur autoritatem Aristotelis, Platonici Platonis, Pithagorici Pithagoræ ac ut recentiores memorem Carthesiani Carthesii, & sic de ceteris, atque juxta horum autoritatem subsumunt & concludunt sua philosophemata, rectè vel non rectè. Quin inde sumitur pro nobis Argumentum, ut dictum immediatè. *Non convincit.*

5. Instantia. *Jesuitæ & Jansenistæ Dissentientes ad Ecclesiæ definitiones pariter provocant. Ergò vel utrique vel neutri rectè sentiunt.* *5. De Jesuitis & Jansenistis.*

Non convincit. Non convincit. Concesso enim antecedente, negatur Consequentia. Utraque enim pars pariter provocat ad Ecclesiæ definitionem, ita ut eidem parere sit parata, vel si illarum altera nolit parere, eoipso pro hæretica habeatur; hacque definitione accedente patet, utra pars rectè concludat & sentiat. Id verò nobiscum sentiant Reformati, ceterique Dissidentes, & è numero benè sentientium reputabuntur.

Nihil itaque pro suæ doctrinæ Veritate evicit Respondens. Non proinde falsissimum est, id quod Scrutator in fine ex appropriatione unius ejusdemque fidei regulæ omnium Dissidentium necessarium consequens fluere asserit: quòd scil. vel omnis debeat esse vera religio, vel nulla: siquidem illarum omnium æqualis est regula & Judex fidei, una eademque Scriptura: æquè enim omnes suos articulos fidei infundant eidem non tantùm tanquam *Principio & argumento fidei* (ut distinctione Respondentis sæpiùs contra hominem utar) *præliminari, primo, & generali*; sed etiam tanquam *proximo, secundo, speciali, ac proprio*, ex illoque omnes æqualiter deducunt suæ fidei Veritates ac Conclusiones. Quodsi negas omnes æqualiter sese eidem principio infundare, dicasque solam v. g. Reformatam sese eidem ritè ac legitimè infundare, ceteros secùs, probandum tibi idipsum erit. Quodcunque autem argumentum pro te attuleris, ex eadem S. Scriptura illud ceteri heterodoxi etiam sui juris esse adstruent: adeoque.

Rectè tandem Scrutator concludit *Utra itaque illarum in hac lite causam, in hac arena palmam obtineat, semper sub judice lis erit.*

Con-

Contra verò ſic excipit Reſpondens. *Et hoc eſt demùm quod Pontificij communiter objiciunt adversùs probationem fidei ex Scriptura tanquam unica regula.* Et rectè ſanè objiciunt ut probatum.

Progreditur porrò Reſp. deterſa fronte, Catonico ſupercilio adducto ſeveriùs in Scrutatorem inſurgere: ait enim. *Sed Scrutator noſter confundit (an per inſcitiam aut negligentiam aut per malitiam, ipſe viderit) ſententiarum, vel religionum veritatem, ac falſitatem in ſeſe, & veritatis illius aut falſitatis manifeſtationem per judicium ſufficiens.*

Verùm fallitur judicio ſuo noſter Ractamantus, cui proinde ingeminandum. *recta judicate filii hominum* Pſ. 57. 2. *Tu quis es qui judicas proximum?* Jac. 4. 13. *Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate* Joan. 7. 24. Scrutator enim haud confundit, quin confuſa in apricum lucemque manifeſtam educit. Unde verò Reſpondenti hæc de Scrutatore conjectura? Inde fortè, quia ſubjungit. *Maneat per noſtram argumentandi rationem ſub judice lis utra pars ſentientium de religione rectè ſentiat, vel ſecùs: hoc nondum eſt vel religiones omnes eſſe veras, vel omnes falſas.* Verùm quando Scrutator infert, *manere ſub judice litem ex veſtra argumentandi ratione*, intelligit id de Judice præcipuè inter vos metipſos videlicet nullum dandum, qui perpetuam litem de religionis cauſa dirimat, ob dictam rationem argumentandi omnium æqualem: ut toties jam & hìc & aliàs in Scrutinio Verit. fidei eſt demonſtratum Quod ipſum Cur? (ut in ipſummet regeram ejus matæologiâ imbutâ tela) *an per inſcitiam aut negligentiam, aut per malitiam* nolit videre, percipere, ac fateri Reſp.

ſum-

ſummoperè miratur & ſtupet Scrutator. Diſcutiamus porrò reliqua, quæ adjungit.

CAPUT VII.

Reformantur ea, quæ Reſp. de Judice fidei adnectit.

Judiciaria ſententia quid efficiat ?

JUdiciaria pergit porrò Reſp. *ſententia non facit cauſam bonam vel malam, ſententiam veram vel falſam.* Ita omninò? *Sed declarat, pronuntiat, proque tali habere jubet ac cogit*, etiam pænis interdum inflictis, ſcil. pro æquitatis ratione. Quid tum? Quid quæſo inde conſequitur? ſubticuit Reſp. *an per inſcitiam, aut negligentiam, aut per malitiam ipſe viderit?* Aſt pando arcanum, aperio quæ hinc ſuapte naturâ fluit veritas. Nimirum Talem qualem hìc & nunc deſcripſit Judiciariam ſentētiam in litigio & controverſiis fidei inter ſemetipſos Diſſidentes nullo modo habere poſſunt, qui ſcilicet *cauſam* inter *illos bonam vel malam, & ſententiam veram vel falſam, non* quidem *faciat*, ſed *declaret*, ac *pronunciet, proque tali habere jubeat.* Statuant enim talem judicem in medium, & acquieſcemus. Non S. Scripturam, ut probatum eſt toties. Non Eccleſiam, quia hujus autoritatem rejiciunt. Non ſemetipſos aut privatum cujuſque Spiritum, quia remittentur ad Apoſtolum dicentem illis: *probate Spiritus an ex DEO ſint. Nolite credere omni Spiritui.* Et inſuper cùm quot inter illos ſubjecta tot ſpiritus, quot capita tot ſenſus, major adhuc quin perpetua de hoc judice lis erit. Taceo inſuper, quòd cùm hic Judex privatus ſit fallibilis

omniſ-

errorisque capax, quin mendacio subjectus, nullo modo illi Autoritas absoluta & suprema litem componendi attribui possit.

Addit porrò Respondens. *Ceterùm quod ad communem illum Pontificiorum Scrupulum.*

Notandum 1. *Gratis supponere Adversarios oportere, ut in Ecclesia existat talis controversias decidendi ratio, per quam nulla amplius de religione sub Judice lis sit. Non probant quod supponunt.*

Sed contra. Hoc ipsum quod asserit Resp. probandum erat. Quod autem nos supponimus sat superque non semel tum ab aliis, tum à nobis in Scrutinio Verit. fidei Parte 2. probatum.

Verissimum equidem est illud Pauli *Oportet hæreses esse* inter eos scil. qui illi controversias decidenti Autoritati, quam vicariam DEI agnoscimus Catholici, petulanter & protervè repugnant, secùs inter eos qui illi obedienter obsecundant. Adeoque illa Apostoli propositio ita intelligenda est. *Oportet hæreses esse* nimirum non absolutè & simpliciter, atque ex suppositione antecedente, hoc est, necessitate Causæ alicujus necessariò inferentis hæreses: talem enim dari negamus: quia hanc neque esse DEUM utpote infinitè bonum, liberum, sapientem, ac omnipotentem, agnoscimus; neque hominem, quem pro libero arbitrio suo haud necessitari ad malum concedimus; neque Diabolum, is enim non necessitat etsi tentet, instiget, sufflaminet liberam hominis voluntatem. Neque ullam aliam talem Creaturam novimus. Sed oportet hæreses esse conditionatè, ac ex Suppositione consequente scilicet talium hominum, qui pro liberi arbitrii pec-

Quo sensu dictum, Oportet hæreses esse.

cato originali corrupti, adeoque ad malum semper tendentis conditione proprium potiùs eligent judicium, suumque privatum sequentur sensum, quàm communem totius Ecclesiæ, cui soli competit autoritativum de Controversiis Judicium: Quare inde oportebit hæreses oriri, αἵρεσις enim electio ex græco ab αἱρέω eligo, eo quod futuri sint, qui proprium suum sensum in rebus fidei dicturi sint repudiato communi & recepto Ecclesiæ sensu & judicio.

Instant contra Resp. *Nondum est tempus Judicii, consummatè erit demùm decisivum Judicium ut omnium humanarum actionum, ita controversiarum de religione, quando omnes sistemur tribunali Christi.*

Judicium controversiarũ de religione an sit solum illud extremum?

Non convincit. Concedimus enim nondum esse tempus judicii illius, scil. extremi & universalis tam vivorum, quàm mortuorum. At quid inde consequitur? Ergò, concludes, *nunc non datur decisivum Judicium controversiarum fidei.* Negatur consequentia.

Probat Resp. *Dies Domini declarabit, habet vulg. ver. authentica Concilio Tridentino* 1. Cor. 3. 13. *Ubi de doctrina agi docent præcedentia.* Sed contra parum fidelem se hîc interpretem Scripturæ declarat Resp. Nam hoc loco non de doctrina directè & per se agi, sed potiùs de actionibus & operibus in fundamento scil. doctrinæ & fidei in Christum jam acceptæ palàm fit ex ipso contextu Scripturæ: ait enim quòd in illo die *uniuscujusque opus manifestum erit* v. 12. *uniuscujusque opus quale sit ignis probabit* v. 13. *Si cujus opus manserit &c.* v. 14. *Si cujus opus arserit* v. 15. Et insuper non poterat ibi Doctor gentium intelligere illis verbis *Dies Domini declarabit* Judicium de Doctrina: neque enim inter illos

qui

qui ſeſe dicebant. *Ego quidem Pauli, alius autem ego Apollo* v. 4. erat diverſa doctrina, ſibique repugnans, ſed eadem; niſi quòd hi quidem eum ſe ab Apollo, illi autem à Paulo accepiſſe gloriabantur, atque hinc inter illos *Zelum* & *contentionem* ortam fuiſſe.

Imò ex hac ipſa Reſpondentis Inſtantia & Apoſtoli loco ſumo Argumentum, debere in Ecclesia dari Judicium *prævium, præliminare*, ac *ſingulare* ſuper Controverſias & doctrinam fidei, quantumvis dandum ſit Judicium extremum, Univerſale conſummatè deciſivum in illaque die Domini declarativum.

Ante Judiciũ extremum datur prævium & præliminare ſuper doctrinam fidei.

Etenim quantumvis futurum ſit judicium extremum, generale, decretorium omnium actionum malarum & bonarum; nihilominus hoc non obſtante voluit DEUS, ut quovis tempore inter homines daretur Judicium prævium, particulare ac ſpeciale actionum bonarum & malarum; voluit, ut conſtituerentur leges, Legislatores, Judices, Tribunalia, executores juſtitiæ, præmia denique bonarum ac pænæ malarum actionum: & quidem in quavis communitate, Provincia, Regno, Imperio, voluit ut Judices, ac Principes Vicaria DEI poteſtate uterentur in judicio & ſententia ferenda de humanis actionibus: hinc ait per Salomona. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Prov. 8. 15. Hinc eiſdem etiam DEI nomen tribuitur. *Ego dixi Dii eſtis.* Pſal. 81. 6. Hinc & Doctor Gentium hortatur, ut *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom. 13. 1. hujuſque dat cauſam. *Non eſt enim poteſtas niſi à DEO, quæ autem ſunt, ordinatæ ſunt: itaque qui reſiſtit Poteſtati, DEI Ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt.* ib. Hinc

talem Potestatem velut Divinae Potestatis Vicariam vocat: ait enim. *DEI enim Minister est tibi in bonum* v. 4. & iterum: *DEI enim Minister est vindex in iram ei, qui malum agit.* Vultque ut illi subditi sint, idque *non solùm propter viam, sed etiam propter conscientiam.* v. 5. Quodsi igitur non obstante extremo illo ac generali decretorio Judicio DEI omnium humanarum tam bonarum, quàm malarum actionum voluit DEUS ut omni tempore & in quavis gente ac populo daretur Judicium particulare atque illud praecedens earundem actionum. Ergò etiam non obstante eodem generali extremoque Judicio de religione bonâ ac mala, debebit omni tempore dari in Ecclesia praevium, & particulare de eadem doctrina bona & mala.

Par etenim ratio utriusque. Si illud Judiciũ est juxta Apostolum *Potestas à DEO ordinata.* Cur non & haec? Si, *qui illi resistit, DEI ordinationi resistit*; Cur non & huic? Si *qui illi resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: Cur non idem dicam de ista? Si ibi illa Potestas est DEI Vicaria: *DEI enim Minister est*, Cur non & haec talis sit? Cur non & hic sit *Minister DEI*? Cur non *Vindex in iram illi*, qui malam doctrinam docet? si illi vult subditos esse non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, Cur non & huic parendum propter eandem conscientiam malae seu falsae atque bonae seu verae fidei ac doctrinae.

Idem probatur paritate rationis. Confirmatur id ratione paritatis. Illa enim Potestas seu Judicium speciale seculare à DEO ordinatum est, ut scil. puniantur ac tollantur è medio hominum actiones malae, ne velut pestiferum virus serpant, & inficiant alios. Ergò & haec potestas seu Judicium specia-

ſpeciale Spirituale à DEO ordinatum eſſe cenſendum eſt, ut etiam puniantur, tollanturque è medio Eccleſiæ ſeu Cætûs fidelium religiones ac doctrinæ malæ, ne & hæ tanquam peſtis aliqua aut gangræna vel cancer ſerpat, inficiatque alios: ut ita nimirum omnes in Domo DEI ſint unius moris idem ad ſobrietatem ſapientes idemque ſentientes. Certè æquè malum eſt peccare contra Legem æternam ac voluntatem DEI atque errare circa eandem Legem voluntatemq; DEI, atque etiam alios in eundem inducere errorem: æquè malè agere, eſt peccatum & error quidam moralis intellectûs & voluntatis pravæ, atque malè credere, doctrinam falſam tenere, atque illâ pertinaciter veræ reſiſtere.

Quid quòd D. Paulus tale Judicium de Doctrina manifeſtè in Eccleſia debere eſſe doceat? ad Eph. 4. toto capite cohortans fideles ad unitatem *Spiritûs, fidei*, ac doctrinæ: docetque proinde Chriſtum D. poſt aſcenſionem ſuam in Eccleſia dediſſe, *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores - - - in ædificationem Corporis Chriſti* ſcil. Eccleſiæ *- - - ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia qui eſt Chriſtus.* Vult item Apoſtolus, ut fideles in Eccleſia *non ſint velut parvuli fluctuantes, ne circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Quis verò id præſtabit? quis *nequitiam hominum* deteget? Quis *aſtutiam ad circumventionem erroris* producet in lucem? Annon *Paſtores?* an- *Item ex D. Paulo.*

non *Doctores*? annon ad id eorundem Judicium de doctrina, de errore in eadem requiritur?

Denique confirmatur ex ipsorummet doctrina.

Quid denique quòd Respondens videtur contra propriam conscientiam (*an per inscitiam*, verba ejusdem repeto, Scrutatori oggesta *aut per negligentiam, aut per malitiam, ipse viderit*) agere, negando illud prævium particulare Judicium in Ecclesia de doctrina dari debere: Novit enim benè ipsosmet Reformatos in Controversis fidei dogmatibus litigantes non tantùm ad Scripturam, sed & ad Synodum recurrisse pro decretoria sententia ferenda, id quod loquuntur Acta præcipuè celeberrimæ illius Synodi Dodrechtanæ. Cur ergò audet rejicere in Ecclesia Judicium speciale prævium illi Judicio Divino extremo ac generali de doctrina & controversiis. Hinc etiam Respondentis.

Scriptura S. ipsa non potest esse Judex fidei, quisque heterodoxorū privato suo Spiritu illam explicat.

Notandum 2do. ruit, in quo ait: *Non tamen ita sub Judice (* supple lis *) manet, ut non possint securâ esse conscientiâ fideles, Vitam proin in Religione reformata degere atque ultimum diem obire, citra salutis vitæque æternæ manifestum periculum, imò interitum.* At quænam hujus ratio? *Judicium*, inquit, *quod securam reddere conscientiam abundè possit, exstat jam satis: judicat Scriptura.* Quin sub pallio & lemmate Scripturæ judicat Respondens pro sua religione, judicat Lutheranus pro sua, Socinista pro sua, Mennista pro sua, Quakerus pro sua; quisque scil. fide, doctrinâ, seu religione, *prout* nimirum, *suus cuique autor est animus, quid in quaque Scriptura probet quid improbet? ac propterea hoc agunt* (inquit D. Aug. de hæreticis) *ut omnis de medio Scripturarum auferatur autoritas.* cont. Faust. l. 32. c. 19. Scripturam prætendunt & suos illi proprios privatosque sensus & judicia supponunt:

ponunt: ad Scripturam Judicem appellant, & ſeipſos illius Judices conſtituunt: ſententiare illam atque de controverſiis decernere, inquiunt, & ſuas ipſi è ſuo cerebro ſententias de ejuſdem interpretatione proferunt, Spiritum S. in Scripturis loqui audacter aſſerunt, & interim cum ſuo quiſque proprio privato Spiritu, qui tamen prius probandus foret, an ex DEO ſit; in medium prodit: Quod vel ex eo patet: quia quiſque illorum alio & alio Spiritu Scripturam explicat & tamen nullus eſt illorum, qui non dicat cum Apoſtolo: *Nam & ego ſpiritum DEI habeo.* Prô! Deum immortalem! DEI Spiritus utique unus unius Veritatis ſupremus Doctor, qui diverſitatem Gentium in unitatem, non varietatem fidei congregavit. Quomodo igitur Unus idemque Spiritus tam diverſa, tamque oppoſita, ſentiat, doceat, inſpiretque hominibus? SS. PP. & Doctores Eccleſiæ hanc notam perpetuam hæreſum & hæreticorum ſtatuerunt, quôd ſcil. ad Scripturam Judicem Eccleſiæ communi & unanimi judicio rejecto, recurrebant; ipſam interim è proprio ſenſu & ſententiâ interpretabantur: qui à nobis fuſiùs aliàs citantur in Regia Via.

Dum verò hæc aſſerimus de Judicio Scripturæ, & Eccleſiæ *non ridet, non inſultat Scrutator*, etſi indignè ferat, quòd Reſpondens cum Diſſidentibus tam manifeſtæ Veritati palàm & perfricta fronte repugnet.

Compoſitam jam hanc litem, ait, *cum modeſtioribus Valenburchiis. Non negamus*, inquientibus, *Scripturam bono ſenſu poſſe dici Judicem.* Eo nim. ſenſu, quo aliàs dicimus, Judicem Controverſiarum fidei dupliciter poſſe conſiderari 1. pro lege, ex qua ſcil. à Legislatore vel

Quo ſenſu S. Scriptura poſſit dici Judex?

Inter-

Interprete Legis deciduntur causæ, sicque ampliativè dici potest Judex ipsa Lex. Hinc vulgô dicimus veniamus ad Legem, judicet nos lex, audiamus ex lege sententiam &c. 2do. Judex potest spectari pro ipso Legislatore vel Interprete Legis causas atque lites decidente juxta præscripta Legis, vel usum & consuetudinem acceptam approbatamque. Primo modo bono sensu dici potest Scriptura, Judex: est enim Divina Lex, secundùm quam fidei causæ deciduntur: Non enim datur Articulus fidei, qui non ab Ecclesia comprobetur ex Scriptura: dicimus enim omnes articulos fidei contineri in Scriptura vel expresse, claré, seu explicitè; vel tacitè, obscuré, implicitè, ac virtualiter. Secundo autem modo non potest dici Judex ipsa Scriptura S.: neque enim est ipsa sui Interpres, sed eget distincto aliquo, vivo & animato Interprete, qui simul juxta eandem decidat & definiat causas fidei: & hunc esse Catholicam Ecclesiam dicimus eo sensu, quo fusiùs id explicatum Scrut. Ver. Fid. Par. 2. & in Regia Via.

Instat insuper Resp. *Judicat DEUS in Scriptura: vocem, sententiamq; Judicis habemus in Scriptura de Controversiis fidei omnibus.*

An Vocem sententiamq; Judicis DEI in Scriptura habeamus?

Sed non satisfacit. Concedimus enim DEUM quidem judicare in Scriptura, sed non immediatè per se. Quis enim est, cui immediatè per se DEUS de judicio ac sensu determinato suæ Scripturæ loquitur? Si id sibi attribuit Respondens; unde est certus de hoc? siquidem & alius Diffidens v. g. Lutheranus dicit sibi DEUM in Scriptura loqui: idem sibi attribuit Socinista; idem ceteri; & tamen in judicio & sensu determina-

minato Scripturæ toto cœlo inter ſe diſcrepant. Non igitur DEUS ipſe loquitur illis, ſed ipſi ſibi & aliis loquuntur, *prout ſuus cuique autor eſt animus, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet?* ut ait D. Aug. cit. Ipſi ſibi amantium ſimiles ſomnia fingunt & religioni ſpeciem, quæ illis allubet ſibi aliiſque depingunt. Similes illis Prophetis, quos incuſat DEUS Jerem. 14. 14. *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo, & non miſi eos, & non præcepi eis*: & 23. 21. *Non loquebar ad eos & ipſi prophetabant*, &c.

DEUS itaque non loquitur in Scripturis per ſe immediatè, & ordinariè eas explicando ſenſumque illarum proponendo, ſed ea quæ ſpectant ad omnium credentium doctrinam, fidem, & religionem univerſalem in Scripturis manifeſtat mediante Eccleſiâ ſuâ: quæ proinde eſt Os DEI vicarium Interpreſque Legis ac voluntatis ejuſdem. Cui propterea ne fallatur & fallat, D. Salvator, & Spiritùs S. aſſiſtentiam, & ſuam manſionem cum illa uſque ad finem mundi promiſit, quam etiam aſſecuravit de eodem Spiritu Veritatis, quòd eam *docturus eſſet omnem Veritatem*, &c. Deinde ſi DEUS judicat ipſe per ſe & immediatè in Scriptura, & non per Eccleſiam, eccur à Reformatis rectioris, ut vulgò habebatur, ſenſûs in Dodrechtana Synodo à Scriptura ad Eccleſiam, quia deciſionem Synodi eſt recurſum; ita ut illa pars quæ ſententiæ dictatoriæ ac decretoriæ Synodi refragabatur & ad ſolam Scripturam appellabat nim. Arminiani ſint rejecti, & condemnati: contra Gomorrhiſtæ, qui Synodi ſubſcripsêre decretis, abſoluti, atque pro rectè ſentientibus judicati?

Quomodo Deus ordinariè loquatur hominibus.

Probationes quas ex Script. adfert Resp. non convincunt. Sat enim superque ad illas responsum à Polemicis Autoribus. Breviter dicimus ad illud Tit. I. 9. *Scriptura est utilis ad arguendum* &c. tanquam id quod habet rationem Legis, non autem tanquam id quod rationē Interpretis & Judicis strictè sumpti. Item utilis ad arguendum, ita ut in illa DEUS per se immediatè, ordinariè loquatur, negamus; ita ut in illa DEUS per alium mediatè, ordinariè loquatur scil. per Ecclesiam suam ejusdem Interpretem, & Ministros particulares ejusdem juxta sensum ejusdem Ecclesiae, hinc etiam addit, quòd *homo DEI*, i. e. ut explicat ipse Respondens, Minister potens esse debet, *eos qui contradicunt doctrinae suae*, arguere: adeoque non per se immediatè, sed per alium mediatè. Quo ipso textu nostram potiùs sententiam fusiùs probamus in Regia Via Manud. 2. Argum. V.

Quo sensu Scriptura utilis est ad arguendum?

Addit Resp. *DEI Ministros non tantùm instrui posse per Scripturam, ut de Controversiis judicare, & pro officio quod gerunt sententiam dicere possint*, &c. Sed non convincit. Nam hinc sequitur, quòd & Scriptura ipsa judicet feratq; sententiam, ut ante asserebat, Resp. & non judicet ipsa, siquidem per Ministrum DEI. Deinde concedit Ministrum per Scripturā de Cōtroversiis judicare, & pro officio quod gerit sententiā dicere posse, hominem privatū, & fallibilem. Cur non idem nobiscū potiori jure concedat ipsi Ecclesiae Universali, cui longè magis cōpetit officium Vicariae autoritatis Christi Domini infallibilis. Praeterea Minister vel conformiter ad judicium & sententiam Ecclesiae suum judicium & sententiam per Scripturā dicit, vel non? Si non? errare facilè censendus, suum privati Spiritûs sensum sequens. Si

Quomodò DEI Ministri judicare possint per Scripturam?

ita?

ita? Ergò Ecclesiæ potiùs tanquam principali tribuendum est judicium illud & sententia. Insuper hoc judicium quod Respondens tribuit Ministro suæ Sectæ, tribuit v. g. Lutheranus suæ Sectæ Ministro, tribuit Socinista suo, & sic de ceteris; & tamen quisque horum in præcipuis, quos fundamentales vocant, diversum ex Scriptura judicium & sententiã proferunt. Cujus igitur horum judicium erit verè ex Scriptura latum?

Rectè ex Apostolo ait quod non *animalis*, sed *Spiritualis homo judicat omnia, & à nemine judicatur* 1. Cor. 2, 14. At quis ille animalis? quis Spiritualis homo? meâ quidem sententiâ quoad præsentem materiam animalis is homo, qui proprii sui judicii sensum sequitur, Spiritualis is, qui illum Ecclesiæ judicio accommodat; & hic omnia judicat videlicet non suo, sed Ecclesiæ judicio: & propterea à nemine judicatur: aliàs judicio & decreto Christi D. ipsius condemnatus censendus. *Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi quasi Ethnicus & publicanus.*

Equidem ait porrò è sensu suo Resp. *istud judicium privatum quorumcunq; improbare solent maximoperè Pontificii.* Certè non improbant judicium privatum, quod sese accommodat Judicio Universali, altiori, autoritativo ipsius Ecclesiæ: improbant privatum huic oppositum, quod etiam propriè & formaliter causat hæreses, ut dictum è mente SS. PP. sæpiùs in Scrutin. Verit. & Regia Via.

Quale Judicium privatum improbant Catholici?

Sed quid tandem subdit Resp. *an volunt ut sine judicio se sequantur homines?* volunt ut sine privato, proprio, ac difformi Judicio Ecclesiæ, non volunt ut sine judicio communi, altiori, ac conformi Ecclesiæ *se sequantur homines.*

mines. Valenburchiorum ſententia eâ de re eſt planè conformis rectæ rationi.

VIII. *Sed tandem* (concludo verbis Reſpondentis nonnihil in meliorem ſenſum reformatis) *quocunque ſe vertant*, ipſimet Reformati, *debent concedere*, *quin deferre*, *omnibus judicium*, privatum ea videl. ratione quæ ſeſe conformet communi, altiori, atque autoritativo judicio Eccleſiæ: aliàs quiſque ſemper obnoxius erit errori, atque hæreſi eligendo proprium privatum judicium. *Scrutator ipſe judicio utique quorumcunque exponit ſua poſtulata*: omninò, non equidem è ſuo privato ſed Eccleſiæ ſenſu, quo facilius Diſſidentibus perſuadeat, ut ſua Eccleſiæ communi judicio, privata judicia ſubjiciant, *captivantes intellectum in obſequium fidei*.

Et jam cum triumpho ex hac arena diſcedit Reſpondens, ſed ita ut herbam Scrutatori contra ſemetipſum porrigere videri poſſit prudenti Lectori: ait enim *Perſtant itaque probationes noſtrorum immotæ per tertia illa poſtulata Scrutatoris de modo argumentandi*, *nec jure ullo probationes noſtræ Religionis poſtulare ille à nobis poteſt*, *donec everterit aliâ ratione*, *quæ ſunt datæ hactenus*. Atqui everſas eſſe patet ex dictis, ſi modò Reſpondēs non ex præjudicio ſuæ ſententiæ, nec affectu partium laborans veritatem ingenuè fateri velit: nec ex contemptu adverſariorū quales ſibi imaginatur, haud modeſtū, (etſi ignoſci verbo poſtulet) nec dignum cordato homine de eiſdē judicium palàm in facie orbis pronuntiet. Sic enim proſequitur dicta ſua, an perſequitur noſtra? *Quàm hìc ſunt invalidi Adverſarii vel deſides*, *qui per generalia iſtiusmodi effugia eludere argumenta noſtrorum ſatagunt*. Mutet jam ſententiam Reſpondens, canatque palinodiam,

diam, nec *invalidos* nec *desides* nos habeat, nec *per generalia effugia eludere argumenta* suorum, *satagere*.

Vult deinde Resp. ut etiam ad Retorsionem ejusdem Postulatorum respondeamus: Voluntati ejusdem paremus: Responsiones non subterfugimus, sed quibus ipsimet in plerisque jus respondendi integrum demonstramus.

CAPUT VIII.

Satisfit Retorsionibus Argumentorum Respondentis.

I. QUærit Respondens. *Quænam sit Regula fidei Pontificiorum?* Responsum ad hoc tum ab aliis sufficienter: tum à nobis in Scrutinio Verit. fid, præsertim Parte 2. & in Regia Via. Retorquetur porrò quæsitum in Respondentem. *Quænam sit Regula fidei Reformatorum.* Ratio dubitandi est. Etsi enim passim asserant solam Script. S. esse regulam & Judicem fidei, quia tamen in Controversiis fidei, quales fuerunt inter Arministas & Gomorrhistas ad Synodum Dodrechtanam recurrerunt, ejusque definitioni partes oppositas stare volebant, videntur non solam Script. sed & Synodum pro regula fidei habere.

1. *Retorsio Argumenti de Regula fidei, non satisfacit.*

II. *Quodnam sit & esse debeat primum argumentum credendi istam, vel illius suæ Ecclesiæ, vel etiam Ecclesiæ indefinitè autoritatem, quâ tenear credere Scripturam esse Verbum DEI, istum esse legitimum & adæquatum Canonem Librorum Scripturæ, quem proponit Ecclesia, & illum esse sensum Scripturæ quem dicit Ecclesia?*

2. *Retorsio.*

Responsum ad id à nobis Opusc. Præcit. Parte 2. Declar. 4. Collig. 2. sed & D. Aug. pridem respondit pro nobis. Tomo 7. de Bapt. cont. Donat. l. 7. c. 53. *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quòd in gubernatione Domini DEI nostri & Salvatoris JESU Christi Universalis Ecclesiæ confessione roboratum est.* Habemus Concilia, habemus SS. Patres, habemus & Universalis Ecclesiæ confessionem, tenentes infallibilem Ecclesiæ autoritatem in propositione credendorum tam generatim, quàm speciatim v. g. de Verbo DEI scripto, de illius Canone, atque sensu illius authentico. Retorquetur verò quæsitum. Quodnam sit & esse debeat primum argumentum credendi Script. esse Verbum DEI &c. Scriptura ipsa? an Synodus? Dodrechtanæ consimilis?

3. *Retorsio. Non satisfacit.* III. *An per notas certas cognosci debeat, quænam sit illa autoritate pollens Ecclesia: vel an credendum sit sine probatione Ecclesiæ Romanæ dicenti se illam esse Ecclesiam.*

Responsum præter alios in Scrutinio Ver. fid. P. 2.

Respondit etiam dudum ante pro nobis D. August. Tomo 7. cont. Julian. Pelag. l. 1. c. 2. *Iterum te admoneo, iterum rogo, aspice tot ac tales Ecclesiæ Catholicæ Defensores atque Rectores, vide quibus tam gravem, tam nefariam irrogas injuriam, an ideò contemnendos putas, quia Ecclesiæ Occidentalis sunt omnes &c. Puto tibi eam Partem sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus glorioso Martyrio coronare; Cui Ecclesiæ Præsidentem B. Innocentium si audire voluisses jam nunc periculosam Juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim vir ille sanctus*

sanctus potuit Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia. Retorquetur Quæsitum. An per notas certas cognosci debeat, quænam sit illa autoritate pollens Synodus, ut fuit Dodrechtana & an credendum sit sine probatione Synodo Reformatæ Ecclesiæ dicenti se illam esse?

IV. *An vel Professio fidei in Bulla Pii IV. vel decreta Concil. Tridentini sint adæquatum exemplar eorum omnium,* 4. *Retorsio.* *quæ credit vel credere jubet Ecclesia Romana. Et si sint, an credenda demùm sint, quæ ad literam in eis expressa exstant an verò etiam quæ per legitimam consequentiam inde elici possunt. Quia item de illorum sensu potest oriri quæstio & est varia, penes quem sit judicare de legitimo sensu, & an illud semper sit in promptu? Deniqúe ubi de istis omnibus definiverit Ecclesia? & quomodo privatus quisqúe de illa definitione possit esse certus ad fidem Divinam factam esse ab Ecclesia.*

Respondetur. Multa hìc, & aliàs, parùm cohærentia, quæ fallaciam amphiboliæ plurium interrogationum sapiunt, congerit: in quibus, ipse potiùs è vero Vexatorem agit, quàm strenuum Scrutatorem Veritatis. Quæ quidem facilè sibi solvere potest benè fundamentô nostrô intellectô, quem non dubitamus esse tam perspicacis ingenii, ut si velit, possit haud difficulter penetrare nostram sententiam. Dicimus igitur & Professionem fidei in Bulla Pii IV. & decreta Concilii Tridentini esse adæquatum exemplar credendorum, etiam quæ per legitimam consequentiam inde elici possunt. De sensu orta quæstione judicare est penes eandem Ecclesiam; estqúe in promptu, si adsit quæstio. *Non satisfacit*

stio.

stio. De his omnibus scil. quæ possent oriri quæstionibus nondum quidquam definitum exstat ab Ecclesia: quia de futuris contingentibus non datur scientia. Quanquam & has in Ecclesiæ Decretis velut in Universali Majore implicitè & virtualiter decisas jam esse rectè dici potest. Privatus denique quisque certus erit de illa definitione, si fiat, quia certus est, quòd omne id quod definit Ecclesia, infallibili Divina autoritate definiat infallibilitatem, quâ ex Spiritûs S. assistentia gaudet. Retorquetur quæsitum proportionatè de Professione fidei Reformatæ Ecclesiæ.

5. *Retorsio.* V. Quærit. *An quæ in Professione fidei Pii IV. recensentur post Symbolum Apostolicum, sint articuli fidei, æquè ac quæ continentur in Symbolo: & an fuerint tales inde à tempore Apostolorum: An verò post demùm per Ecclesiam sint additi? An item istud definiverit Ecclesia?*

Non satisfacit. Resp. Quis nostrûm dubitat de prima Quæstione? nec de secunda dubitamus in quibus committitur ignoratio Elenchi: supponit enim alium nos tenere Elenchum in Symbolo Apostolico, alium in Professione Pii IV. Jam autem utrumque idem in re dicimus, cum hac solùm distinctione, quòd quæ implicitè & virtualiter continet Symbolum Apostolicum, adeoque eodem modo implicitè duntaxat & virtualiter credita sunt à tempore Apostolorum, explicitè & expresè ponantur in Professione fidei Pii IV. Cùm etenim tum nondum ortæ fuerint Controversiæ de aliquibus articulis, quæ præterito seculo per Lutherum, Zuinglium, Calvinum, &c. motæ fuerant, implicitè & virtualiter in Symbolo Apostolico ante credebantur, nunc autem explicitè & expresè credendæ fidelibus univer-

Universis ab Ecclesia sunt propositæ, continenturque Professione fidei Pii IV. Nam non est novum in Ecclesia, ut aliqui articuli fidei credantur implicitè & virtualiter, non expresè à fidelibus, qui deinde orta contradictione hæreticorum ab Ecclesia in Conciliis & SS. PP. explicitè & expresè credendi propositi sunt. Sic initio Ecclesiæ de Trinitate Personarum in una natura: de omousio seu Consubstantialitate Filii DEI cum Patre: de duabus Naturis, adeoque & Voluntatibus in Christo, in una Persona Divina subsistentibus &c. claris & expressis Verbis Symbolum Apostolicum haud testatur, hinc à temporibus Apostolorum hæc implicitè & virtualiter à fidelibus credebantur: quæ tamen postmodum orta ab hæreticis contradictione ab Ecclesiâ in Conciliis definita, propositaque sunt omnibus fidelibus expresè & explicitè credenda. Quare tales articuli non sunt post demùm per Ecclesiam additi, tanquam novi, sed tanquam ii, qui ante nonnisi implicitè credebantur, post autem accedente Ecclesiæ definitione, & propositione explicitè & expresè credendi. Nec demùm dubitandum id ab Ecclesia definitum: qua de re testatur D. August. ep. 168. ad Januar. Vincent. Lirin. c. 19. &c.

Potest porrò hoc Quæsitum retorqueri in Respondentem. An Professio fidei in Confessione Reformatorum contineat articulos fidei, qui æquales sint articulis fidei in Symbolo Apostolorum? & an fuerint tales inde à tempore Apostolorum? An verò post demùm per Ecclesiam Reformatorum sint additi? & an id probent ex Scriptura?

6. Retorsio. VI. *An dignitates & Ordines Ecclesiastici necnon solennitates, ritus, & Ceremoniæ quæque ad religionem pertinentes, in Ecclesiâ Romanâ omnes sint ab Institutione Christi, & Apostolorum, vel etiam Ecclesiæ Universalis? An æquè sint antiqua omnia continuâ successione in Ecclesia Catholicâ, conservata? vel si non? an æquè sancta habenda, religiosevè observanda sint omnia sive à Christo, aut Apostolis, sive ab Ecclesia post secuta trahant originem: & ubi hoc clarè definierit Ecclesia?*

Non satisfacit. Respondetur. Harum dignitatum & Ordinum & ceterorum aliqua esse ab institutione Christi, de quo ad Ephes. 4. aliqua ab Apostolorum sic Paulus de se 1. Cor. 11. *Cetera cùm venero ordinabo*: aliqua ab Ecclesiæ Universalis institutione secundùm temporum, & aliarum circumstantiarum exigentiam. Hinc aliqua aliis antiquiora, & æquè sancta habenda ceteris paribus. Hæc verò ipse usus & praxis Ecclesiæ propter bonum ordinem, qui natura rerum omnium, Regnorumque adeoque & Regni i. e. Ecclesiæ Christi D. definivit.

Porrò ad hoc Quæsitum ipsi etiam Proponenti respondendum est; Non enim est dubium, etiam apud ipsosmet Reformatos dari dignitates & ordines aliquos Ecclesiasticos, solennitates, ritus, & ceremonias ad religionem pertinentes; à quo hæc obsecro instituta? à Christo D.? an ab Apostolis? An Ecclesia? Si primum vel secundum, ubi de hoc S. Scriptura? Si tertium, Ergò præter Scripturam potest ipsa Ecclesia aliquid instituere? id quod tamen negat Respondens. Huc referri possunt & cetera quæsita.

VII.

VII. *An Ecclesia Romana sua illa Autoritate tanquam Judex Visibilis Controversiarum, ad controversias magìs idoneus quàm Scriptura, ita determinet Controversias orbis de fide, vel determinare possit; ut nulla amplius religionum de veritate sub Judice lis sit? vel saltem an inter ipsos suæ communionis homines controversias omnes Theologicas, eas nimirum, de quibus alii alios hæreseos insimulant quales v. c. inter Jansenistas & Jesuitas partim de gratia & libero arbitrio ac capitibus illis theoreticis, partim de moralibus vigent hodie, possit componere vel determinare. Et si potest, quare non facit; imò in communione sua retineat, foveat, extollat Jansenistas, quos damnâsse jam satis censetur à Jesuitis.* 7. *Retorsio.*

Respondetur conformiter ad jam dicta superius §. 7. ad Notandum 1. Illud porrò quod supponit dicendo *Ecclesia Romana est Judex Visibilis ad componendas Controversias magìs idoneus, quàm Scriptura:* cum modico salis accipiendum: nimirum magìs idoneus in suo genere, videlicet tanquam Interpres Legis & Voluntatis Divinæ in Scriptura claré seu explicité, vel obscuré & implicité declaratæ: quod Vicarium DEI officium in explicando sensu Verbi Divini illa sola non hæc exercet, ut dictum sup. Similiter & illud *ut nulla ampliùs de religionis Veritate lis sit*, si scil. judicio Ecclesiæ stent, adeoque secundùm exigentiam rei non ampliùs ulla lis exoriri deberet; secùs si illiùs judicio non tantùm non pareant, sed & reluctentur: hinc nihil mirum, si aliqui pro conditione naturæ humanæ corruptæ liberô arbitriô utentis reperiantur, qui non obstante Ecclesiæ determinatione, lites novas in fide moveant. Parùm se deinde versatum ostendit Resp. in Controversiis, quæ sunt inter Jesuitas & Jansenistas; *Non satisfacit.*

 stas;

ſtas: patet enim jam Orbi, quæ ſententiæ & Propoſitiones Janſenij ſint ab Eccleſia ejuſque Vicario XI. Capite non à Jeſuitis ut ille ait, immediatè & directè rejectæ & damnatæ, ita ut citra errorem ac hæreſim teneri haud poſſint; de iis verò quæ nondum damnatæ, liberum eſt diſputare, cum animi tamen præparatione ad parendum Eccleſiæ deciſioni, & determinationi.

Ad extremum Retorquetur hoc Quæſitum in Reſpondentem proportionatè ad ejuſdem fidei principium. *An ſcil. S. Scriptura tanquam Judex inviſibilis controverſiarum ſuâ autoritate ita determinet controverſias orbis de fide, ut nulla amplius de religionum Veritate ſub Judice lis ſit?* Cur tamen inter illoſmet ipſos ac præcipuè Arminiſtas & Gomorhiſtas tot lites ſint ortæ? Cur non per ſolam Scripturam, ſed etiam Synodum Dodrechtanam judicatæ ac determinatæ? una pars rea proclamata, altera abſoluta &c.

8. Retorſio. VIII. *An Canon ille integer Librorum Scripturæ V. Teſtamenti, quem proponit Concil. Trident. fuit jam Canon ſub V. Teſtamento, paris per omnes Libros & partes Autoritatis? vel an Eccleſia ſub N. Teſtamento imò his poſtremis demùm temporibus potuerit Libros & appendices Librorum V. Teſtam. facere aut pronuntiare Canonicos, qui ſub V. Teſtamento tales non fuerint. Et quis ſit proprius uſus Scripturæ ad fidem, cùm Eccleſia adæquata ſit Regula fidei Scripturæ non adſtricta?*

Non ſatisfacit. Reſpondetur 1. Hoc Quæſito Autor planè agit Vexatorem, non Scrutatorem, ne dicam Sophiſtam, tot utentem fallaciis, & plurium Interrogationum, planè non cohærentium, & Ignorationis Elenchi; Neque enim

enim Ecclesia est adæquata fidei regula Scripturæ non adstricta, ita ut pro lubitu suo æquè pro atque contra Scripturam aliquid definire possit, quod videtur supponere Respondens dicendo Ecclesiam Scripturæ non adscriptam. Quo autem sensu Regula fidei sit Ecclesia demonstratum est tum hic breviter, tum fusiùs in Scrutinio Verit. fidei.

Respondetur 2. Affirmativè ad primum Quæsitum. Ad secundum negatur suppositum eos Libros V. Testam. qui sub N. Testamento ab Ecclesia pro V. Testamenti Canonicis sunt agniti tales sub V. Testamento non fuisse: qui ergò tales jam tum fuerant, cur non illos ut tales Ecclesia in N. Testamento pronuntiare potuerit? Quid verò tertium Quæsitum cum præcedentibus connexionis habeat? non video; præsertim cùm fallatur in supposito: Ecclesiam enim adæquatam fidei regulam dicimus non absolutè & simpliciter, sed secundùm quid, & cum addito scil. activam, interpretem, nimirum vocis & Voluntatis Divinæ in Scriptura claris vel obscuris Verbis expressæ.

Respondetur 3. Retorquendo Argumentum 1. Unde Respondenti & Reformatis Canon Scripturæ V. Testamenti integer? imò & Novi? 2. Unde illis Script. hos Libros V. Testamenti Canonicos? cùm de hoc ante non constiterit? 3. Quis Scripturæ proprius usus cùm sit apud diversos Dissidentes diversus, nihilominus tamen Scripturæ adstrictus, ut ajunt, & non adstrictus, quia diversi diversa imò & opposita ex illa circa unum eundemque articulum fidei concludunt.

IX. *Quia Latinam Bibliorum editionem vulgatam, in publicis Lectionibus, Disputationibus, prædicationibus, & ex-* 9. *Retorsio.*

positionibus pro authentica habendam esse statuit Concil. Tridentinum. An ergò editio illa sit absolutè authentica? an item vel sola sit, vel sit cum Hebræo & Græco textu paris, an imparis autoritatis? vel an tantùm in disputationibus, prædicationibus & expositionibus tanquam authentica habenda sit, & usurpanda cùm non sit authentica? & ubi de hac re definierit Ecclesia, ut nulla sub judice lis sit?

Non satisfacit. Respondetur. Et hìc mirum Vexatorem simul & Sophistam agit Respondens; jam de Latina vulgata editione; jam de Hebræo & Græco textu agens: jam inquirens, an vulgata pro authentica habenda cùm non sit talis? ubi item hoc definierit Ecclesia? Quod quid aliud est, quàm vexare & ludere? Dicimus itaque Concil. Trident. de solis Latinis editionibus agere, & inter has *Veterem* (Verba sunt Concilij) *vulgatam editionem quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habendam esse statuo.* Quibus Tridentini Verbis quid clarius? quid igitur necesse erat quæri à Respondente, *an illa editio sit absolutè authentica? an sola sit? vel sit cum Græco & Hebræo textu paris an imparis autoritatis?* Habeat sibi quam vult autoritatem textus Græcus & Hebræus, sufficit nobis Ecclesiam autorisare Veterem vulgatam editionem, idque ex consideratione, *non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ DEI, si omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat* ad præscindenda nimirum litigia circa editiones authenticas? ad tenendam Uniformitatem in legendis & exponendis Scripturis, ad præcludendam deniq̀ue viam aliis novas editiones authenti-

cas

cas confingendi &c. Hinc Græcum & Hebræum textum pro authentico haud habemus, vel ex eo, quia ab Ecclesia haud est autorisatus, adeoque nec paris autoritatis cum vulgata editione esse debet. Id demùm Ecclesia definivit ita, ut sub Judice lis nulla sit, nisi fortè inter refractarios inobedientesque Ecclesiæ, ac litigiosos.

Denique totum id, proportionatè retorqueri potest in Respondentem de editione Librorum Sacrorum illa, quam habent pro authentica. An scil. illa sit absolutè authentica? an item sola? an item sit cum Hebræo & Græco textu paris an imparis autoritatis? & quinam ille Hebræus & Græcus textus authenticus sit? cujus editionis? cujus item interpretationis? Bezæ, an Calvini? Piscatoris? an Gualterij; & an hæc editio sit habenda tanquam authentica, cùm non sit authentica, & ubi de hac re definierit Scriptura, ut nulla sub judice lis sit?

X. *Quia Scripturam jubeor explicare etiam in prædicatione Verbi, ut explicat Ecclesia: An & ubi exstet Commentarius Ecclesiæ authenticus, & per omnia sufficiens in Scripturam S.* 10. *Retorsio.*

Respondetur. Cùm Ecclesia non alium S. Scripturæ Commentarium admittat, & adhibeat, quàm quem legere est in SS. Patribus & Doctoribus Ecclesiæ, illum etiam habet pro authentico. Unde Concil. Trid. *contra eum, qui S. Scripturam contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat, pœnis statutis à Jure puniendum, declarat* Sess. 4. Tunc itaque in prædicatione Verbi Divini explicabitur S. Scriptura, ut vult Ecclesia, quando explicabitur juxta unanimem consensum Patrum, *Non satisfacit.*

quem ipſum pro ſufficienti Commentario habet Eccleſia.

Retorquetur porrò in Reſp. argumentum. Cùm ipſe tanquam Eccleſiæ Reformatæ Miniſter Scripturam debeat explicare in prædicatione Verbi Dei, ut vult ab ipſo Divinus Spiritus loquens in Scripturis eam explicari. An & ubi exſtet Commentarius authenticus per omnia ſufficiens in Scripturam juxta ſenſum & judicium ejuſdem Divini Spiritûs, factus: præſertim cùm alius ſit Commentarius Lutheranorum, alius Sociniſtarum, alius aliorum, & quidem quoad præcipuos, quos vocant fundamentales articulos fidei: quin etiam inter ipſos Reformatos alius & alius eſt, ut oſtenſum Scrutinij Ver fid Parte 1. Diſc. 3.

II. *Retorſio.* XI. *An externa Communio Eccleſiæ Romanæ ſit abſolutè neceſſaria neceſſitate medii, ut nemo prorſus hominum extra illam communionem inde ab exordio Eccleſiæ Chriſtianæ ſalvatus ſit, nec ſalvari quisquam impoſterum poſſit, prout extra Catholicam ſeu Univerſalem Eccleſiam ſalvari neminem, haud ſecùs ac extra Arcam Noæ tempore diluvij in vita conſervabatur nemo, certum eſt? Et ubi de hac re clarè definierit Eccleſia?*

Non ſatisfacit. Reſpondetur inprimis totum Argumentum retorquendo in Autorem de Reformata Eccleſia. An ſcil. externa Communio Eccleſiæ Reformatæ ſit abſolutè neceſſaria neceſſitate medij &c. & ubi de hac re clarè definierit S. Scriptura?

Reſpondetur 2. Quæſitum procedere poteſt de iis, primò, qui convicti in animo ſuo nôrunt non aliam Eccleſiam eſſe veram, ſeu orthodoxã quàm eam quæ dicitur Romana, nec tamen talem ſcientes protervè ample-

amplecti volunt. 2dò. De iis, qui de hac Veritate non ſunt convicti. De primis reſpondemus affirmativè, multoque magìs ſi convicti non tantùm non amplecti velint negativè, ſed & poſitivè eandem oppugnent. De ſecundis loquendo, hi adhuc poſſunt in duplici claſſe ſpectari: 1. poſſunt eſſe aliqui non convicti de hac Veritate abſolutè & ſimpliciter, ita ut nunquam quicquam de illa audierint, ſi tamen ſint baptizati, credant SS. Trinitatem, & Chriſtum D., rectè juxta rationis dictamen vitam inſtituant, ſintque præparato animo amplectendo eam Eccleſiam, quæ defacto eſt Vera & Catholica: & de his quidem non audemus decernere, quòd damnentur: ſupponuntur enim tales fideli Creatori commendare animas ſuas in benè factis: Nam etſi quidem non ſint in Eccleſia Romana formaliter & apertè, ſunt tamen virtualiter & occultè ac implicitè in illa præparatione animi. Alii deinde poſſunt eſſe, qui ſint convicti ſecundùm quid non totaliter, ac proinde vacillantes dubitanteſque de illa Veritate eandem indagent, ſintque parati amplecti, poſteaquam illam plenè agnoverint; & de his mitiùs tenendum eſt, ſi præſertim inſuper rectam vitam ſectentur. Secùs de illis, qui quidem vacillant & dubitant, poſſint verò, negligunt tamen indagare, quin etſi illis pateret Veritas, parum de illa eſſent ſolliciti. Tales enim videntur obſtruere os Conſcientiæ & agere contra internam S. Spiritûs motionem: adeoque reſiſtere Spiritui S., indurari in cordibus ſuis, extinguere lumen, quod in mentibus illorum à Patre luminum deſuper immiſſum accenditur, conſequenter cùm in profundum peccatorum venerint, contemnunt;

atque ultimo dati in reprobum ſenſum, & fidei, & ſalutis æternæ incurrunt naufragium. De hac porrò re jam dudùm definivit Eccleſia per os S. Athanaſij in Symbolo. *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem*, & in fine; *quam niſi quisque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Jam autem Romanæ Eccleſiæ fidem eſſe Catholicam, demonſtratum eſt tum ab aliis, tum à nobis in Scrutinio Ver. fid. P. 2. illa enim eſt juxta Irenæum L. 3. c. 3. *Maxima, & antiquiſſima, & omnibus cognita :* illa *Radix & Matrix Eccleſiæ Catholicæ; ad illam,* proinde, *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt convenire omnem Eccleſiam, hoc eſt, omnes qui ſunt undique fideles.*

12. *Retorſio.* XII. *Quia etiam potiora probanda ſunt. Cùm tot ſint in Eccleſia Romana Religioſorum, quos vocant, Ordines, qui de præcellentiâ ſuâ gloriantur omnes ; Quænam iſtarum Religionum vel Ordinum omnium optima, ſanctiſſima, perfectiſſima ſit, ut ſi quis ad Evangelicæ perfectionis faſtigium contendere, vel religioſiſſimè vivere velit, illam præ aliis eligere debeat ? & an non de hac quoque re definierit Eccleſia ?*

Non ſatisfacit. Reſpondetur. Hiccine eſt ultimus Reſpondentis aries ? prô ! quàm debilis ! Sunt equidem tot in Eccleſia Romana Sacri Religioſorum Ordines & cætus, qui de præcellentia quidem ſua haud gloriantur, ſed potiùs cum D. Paulo *in infirmitatibus ſuis :* omnes enim abnegationem ſui ac mundi hujus, humilitatemque Chriſti profitentur. Præcellentia ſi quam ſibi jure vendicant, eſt ætatis quâ unus alterum præcedit ſenio, vel laborum in Vinea Eccleſiæ Chriſti cumulo, quæ cum tempore & ſtudio, *in Eo* qui illos *confortat* Chriſto D. creſcunt & augentur. Fruſtra porrò Reſp.

quærit

quærit quænam iſtarum Religionum omnium *optima, ſanctiſſima, perfectiſſima ſit?* Talis enim nulla datur: nam poſitivè quidem omnes ſunt perfectæ: id eſt, profitentes, quævis ſuo modo & inſtituto tendentiam ad perfectionem; comparativè quoque una eſt perfectior alia, in quantum magis una, quàm altera eſt imitatrix virtutum vitæque Chriſti D., Divinarumque perfectionum expreſſiva: qua in re eſſentia perfectionis omnis humanæ, tum ſigillatim religioſæ conſiſtit. In ſuperlativo verò i. e. in ſummo gradu non datur ulla perfectiſſima. DEUS etenim à nobis puris hominibus perfectionem & ſanctitatem, in hac vita maximam, quâ major non poſſit dari, haud requirit: Nam hæc ſolùm in DEO-Homine Chriſto D. reperiebatur. Præceptum equidem ejuſdem eſt, *eſtote perfecti ſicut Pater veſter perfectus eſt*, ſed vel ideò non vult, ut perfectio noſtra ſit ſumma, ſed potiùs ut ſemper ad majorem & majorem imitationem, expreſſionem, participationemque illius ſummæ, excellentiſſimæque quia infinitæ perfectionis Patris cœleſtis omni conatu tendamus, & Ratio hujus à priori eſt: quia cùm DEUS Pater in ſua perfectione & ſanctitate ſit infinitè perfectus; *finiti* autem *ad infinitum non datur commenſuratio*; & infinitum ex natura ſua ſit, *ex quo* ut Ariſt. ait, *ſemper eſt accipere extra*: id eſt ſemper de illo participare poteſt ens finitum, quin unquam expleatur; ſequitur purum hominem, qui eſt ens finitum non poſſe in perfectione infinitæ Divinæ perfectioni commenſurari; ſed ſemper magis ac magis de infinita illa perfectione Divina participare. Aliud eſt de Chriſto D. cùm enim ejus Humanitas ſeu Natura Hu-

mana per Unionem Hypostaticã in persona Verbi totam Divinam Naturam, per consequens cum eadem omnem perfectionẽ Divinam participârit; hinc fit, ut in Christo D. infinita fuerit perfectio & Sanctitas, etiam in quovis minimo actu, quia omnem suam perfectionem sumebat à Persona Verbi: quæ cùm sit infinita, omnem etiam actum Christi D. infinitum esse necesse est. Hinc à DEO Patre datus est nobis pro Norma & exemplari omnis sanctitatis & perfectionis. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipsum audite* Matt. 17. 5. Hinc & ipsemet, se ipsum pro norma statuit. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 10. *Exemplum dedi vobis* &c. Joan. 13. 15.

Quamobrem in Ecclesia non datur ullus ordo, qui sit perfectissimus & sanctissimus, sed quisque in suo genere perfectus est, ita tamen ut quivis juxta monitum D. Pauli *æmuletur charismata meliora* 1. Cor. 12. 31. i. e. conetur ad majorem & majorem tendere perfectionem: unde non aliter meliùs definitur religiosorum ordo & vita, quàm *perpetua quædam tendentia ad perfectionem.* Si est tendentia ad perfectionem, certè non est comprehensio ejusdem; adeoque non datur summa perfectio.

Confirmatur id ex eo, quia Apostolus testatur dari hominibus fidem, & ceteras Virtutes, hominesque debere sese in iis exercere *secundùm mensuram donationis Christi* Eph. 4. 7. *Varias* item *esse divisiones gratiarum* 1. Cor. 12. 4. Quo fine? nisi ut sese accommodent illæ gratiæ conatui tendentium ad perfectionem & sanctitatem. Et sicut nulli à DEO datur mensura, aut divisio gratiæ maxima & in sumno gradu; ita nec datur

tur in ullo maxima & ſumma perfectio & ſanctitas.

Unde etiam ſequitur, quòd ſi quis ad Evangelicæ perfectionis faſtigium contendere velit, illam præ aliis vocante DEO eligere liberum habeat, quæ ejuſdem viribus *juxta menſuram donationis Chriſti*, & *diviſiones gratiarum*, fuerit accommodatior. Non omnia enim poſſumus omnes: & *uni quidem dedit unum talentum, alii duo, alii quinque, unicuique ſecundùm propriam Virtutem*, dicitque omnibus: *negotiamini dum venio.* Luc. 19. 13. Et ſicut non omnes vult Chriſtus D. Apoſtolos, non omnes Doctores, non omnes Prophetas: non omnes Evangeliſtas, qui tamen omnes in ſuo gradu & genere ſunt perfecti ſtatus; etſi unus Apoſtolus aut Doctor, aut Propheta, aut Evangeliſta potuerit eſſe major, perfectior, atque ſanctior alio: ita non omnes vult Dominus eundem eligere Ordinem, v. g. contemplativum purè, aut activum, aut contemplativum ſimul & activum: quorum tamen unus eſt perfectior alio in ſuo genere: & poteſt quis in uno non perfectiore, perfectiorem vitam ducere, quàm alter in alio perfectiore. Unde admiranda profectò eſt Divinæ Providentiæ, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur Ordinatio, quòd in Eccleſia ſua tot tamque diverſos inſtituerit religioſorum Ordines, ut videlicet quiſque ſecum ineat rationes, ejus quid valeant vires, quid ferre recuſent? eumque eligat ſtatum & Ordinem, quem *juxta menſuram donationis Chriſti* ſuis tum corporis tum animi viribus ſenſerit accommodatiorem: ut ita D. DEUS tanquam ſupremus ille Rex Regum & Dominus Dominantium in Aula ac Curia ſua varios habeat Aulæ Miniſtros, ac Curiales: tanquam pro-

videntissimus Paterfamilias varios in Vinea sua Operarios: tanquam Sapientissimus Magister varios in Schola sua discipulos. Hinc demùm patet, quid ad ultimum interrogatorium respondendum sit, scil. Annon de hac re, de qua nempe procedit quæsitum, definierit Ecclesia? respondemus enim negativè: neque enim definire potest id, quod non datur in rerum natura. Non entis enim non dantur passiones nec definitio.

Retorqueri ad extremum potest Quæsitum in Respond. Cùm tot in Ecclesia Reformata sint Doctores, Ministri, ac Prædicantes, qui de præcellentiâ suæ doctrinæ, eruditionis, intelligentiæque Scripturarum, tum & perfectionis sanctiorisque vitæ, gloriantur. Quisnam illorum sit sanctissimus, perfectissimus, doctissimus? ut si quis ad fastigium Evangelicæ perfectionis contendere, vel perfectissimam vitam ducere velit, cujus præ aliis doctrinam, formamque vivendi eligere debeat? & an de hac re definierit Script.

Viden' Amice Lector Sisyphi lapidem, quem in nos volvebat Respondens, in ipsummet revolvi: in foveam, quam nobis parabat, ipsummet incidere. Stat igitur firmum, quod Scrutator Veritatis non è vano augurabatur fore, ut nullus Dissidentium Neo-Evangelicorum, atque adeò nec Calvino-Reformatorum cætus Postulatis à se propositis esset satisfacturus. Unde per consequens nullitatem Universorum rectè ex uno eodemque omnium Principio fidei consequi deduximus in Scrutinio Veritatis.

Et hoc est illud *Judicium cum Responsione de Scrutatore Veritatis* Autoris quidem Anonymi, sed qui deinde inno-

innotuit; quod ad *Stateram Justitiæ* appensum examinatumque Tuo conspectui Judicioque, affectu partium haud laboranti, statuo Lector benevole. Mortuo, ut fert paræmia, Leoni minimè insultare volui. Sed magis mens erat mortis fato minimè obnoxiam, quia *in æternum manentem Veritatem* Ps. 116. 2. vivis adumbratam coloribus, oculis & animis exponere eorum, in quorum præsertim hìc Gedani, haud mortuus memoria; quin viva ejusdem in amicis gestatur Imago pectoribus. Quamobrem vos ego per Vestræ Salutem Animæ oro atque obtestor, *Stateram ne transiliatis, ne prætergrediamini Justitiam*: Verbis D. Hieronymi repetitò utor, *Veritatem post DEUM colite*, cordique habete: Veritatem inquam, orthodoxæ fidei, *quæ sola vos DEO proximos faciet: sine qua impossibile est placere DEO.* Cujus sola Romana Catholica Ecclesia à prima inde origine perpetua Custos, fidelis Conservatrix, indefessa propagatrix toto, quà longè lateque patet orbe, omnique quà per tot secula decurrit tempore atque ætate. Qua de causâ non jam meum, sed Magni Ecclesiæ Doctoris Hieronymi fidele accipite consilium. *Brevem Tibi apertamque animi mei sententiam proferam. In illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad hanc diem durat. Sic ubi audieris eos, qui dicuntur Christi non à D. JESU Christo, sed à quovis alio nuncupari, utpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses &c.* (Quid nunc diceret de Lutheranis, Calvinistis, Socinistis, Mennistis, Quakeris? &c.) *Scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus nuntiavit.* Quod autem hic S. Doctor

Tom. 1. adv. Ruff.

Hebr. 11. 6.

Contra Lucifer.

1. Tom. 4.

per

2. Tim. 2. per *Ecclesiam, quæ ab Apostolis fundata usque ad hanc diem*
2. Petri. 2. *durat*, non aliam quàm Romanam intellexerit, patet ex eo, quia alibi sic ait. *Non novi Vitalem, Meletium*
Tom. 2. Ep. 57. ad Damasum P. *respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum* (supple Damaso P.) *non colligit, Spargit: h. e. qui Christi non est, Antichristi est*; & alibi. *Hinc præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit; hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat - - - - Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, Paulinus tibi hæreses edicunt, possem credere, si hoc unus assereret, nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.* Audite & sequamini alium Magnum Ecclesiæ Doct. Augustinum. *Dubitamus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem*
De Util. cred. c. 17. *generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum Majestate damnatis, culmen Autoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis ignorantiæ.* Ad extremum cum eodem claudo
In Psal. contra partem Donati. Tom. 7. *Venite Fratres, si vultis ut inseramini in Vite. Dolor est, cùm vos videmus ita jacere. Numeràte Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri, & in illo ordine Patrum, quis cui successerit, videte! Ipsa est Petra, quam non vincunt inferorum portæ.*

Satis-

SATISFACTIO

Scrutatori Veritatis orthodoxæ, nomine Socinistarum, data ad Stateram Justitiæ & Veritatis appensa, nulla declaratur.

INitio hujus satisfactionis Autor quiscunque ille sit è Socinianis, ut ipse innuit, pulsis Regno Poloniæ, in ipso Titulo latentem anguem in herba nolens volens detegit: Vocat enim suam sectam & religionem: *Congregationem, quæ agnoscit unum DEUM & qui missus est JESUM CHRISTUM.* Quis vel ex hoc titulo, non diceret hanc esse sanctam, piam ac veram Ecclesiæ Congregationem ac cætum? cùm solum unũ DEUM & ejus, qui missus est Filium JESUM CHRISTUM agnoscant & confiteantur. At verò sub generalibus terminis minimè exprimuntur, quin supprimuntur primaria illorum, dudùm ab Ecclesia hæreseos damnata dogmata, de SS. Trinitate, Personarum in una Deitatis essentia, de JESU Christi generatione Divina æterna, deque ejusdẽ Divina Persona in natura Humana subsistente. Palliari potest falsitas veritatis velamine, quo si denudetur, prodit illa in lucem, & qua sit origine nata, palàm demonstrat. Deinde hoc titulo nondum se discriminat hæc secta & religio à quacunque alia Christiana dici ambiente, quam illa rejicit: nulla enim est, quæ non præseferat, Congregationem

Initiò, ipso in titulo latentem hæresim ab Ecclesia damnatam, prodit.

tionem

tionem, unum solum DEUM, & qui missus est JESTUM CHRISTUM, agnoscentem.

In Præliminaribus porrò hujus satisfactionis adversam suorum accusat fortunam, quòd ex omnibus dinibus Regni Poloniæ sunt pulsi per summum nefas & injuriam. Hac verò accusatione summã injuriam infert Serenissimo imprimis Coronato Capiti Sanctæ mẽ: Joanni Casimiro Regi, quo primariò promovente, tum Illustrissimis Senatoribus, tam Spiritualibus quàm Secularibus, atque nobilissimo Equestri Ordini, quibus unanimiter consentientibus per publicam Comitiorum Constitutionem Regno sunt proscripti. Cujus tenor est talis è polonico idiomate, cui Latinũ mirâ jucundâque, suadâ, quâ præ ceteris nationibus hæc Gens gaudet, inspersum, Anno D. 1658. d. 20. Jul. in Comitiis Generalibus Varsaviæ celebratis, ab universis Regni Ordinibus sancita, & subscripta. Titulo. Secta Ariana.

Constitutio Regni Poloniæ contra Arianos.

Etsi semper Sectam Arianam, seu ut à nonnullis appellatur, Anabaptistarum in nostris Regnis esse & propagari Jus commune non permiserit. Quia tamen fatali quodam Reipublicæ casu prædicta secta pauca ante tempora in Regnis nostris tam Coronæ, quàm Magni Ducatûs Litvaniæ dilatari cæpit, quæ Filio DEI abæternitatem denegat: reassumpto, & in suo vigore conservato contra illos Statuto Vladislai Jagellonis Antecessoris nostri de Hæreticis, accedente consensu omnium Ordinum Constituimus: Quod si quis inveniatur ejusmodi, qui Sectam hanc Arianam in Regnis nostris tam Coronæ, quàm M. Ducatûs Litvaniæ, & Provinciis eis annexis auderet confiteri, propagare, & prædicare, aut eandem, & assertores illius protegere & fovere, legitimèque de hoc convictus fuerit, talis quilibet supradicto statuto succumbere debet, & sine ullâ dilatione per Capitaneos nostros & Officia illorum pœnâ colli puniri,

niri, sub privatione Capitaneatûs. Fautoribus autem eorum tanquam pro pœnâ perduellionis Forum in Tribunali inter causas conservatas mixti fori assignamus, ad Instantiam cujuscunque, prout & Capitaneis eorumque officiis. In Ducatu autem Litvaniæ in Tribunali in quovis Regestro. Volentes nihilominùs Clementiam nostram demonstrare, si fortè quis inveniretur, qui sectam hanc nollet abnegare, tali annos tres pro divenditione concedimus, salvâ bonorum & personarum securitate, debitorumque repetitione. Quo tempore nihilominus nulla exercitia Sectæ suæ sup. memoratæ peragere debebit, & ad nulla munia publica poterit sese immiscere sub pœnis superiùs expressis. Hucusque Constitutio. Quod igitur tanto totius Regni motu, tantoque consensu sancitum, nemo citra iniquitatem, nefas injuriamque dixerit.

Cetera, quæ ulterius adducit, non moror. Sat appositè satisfactionis nomine ad mentem D. Petri. 1. 3. 15. pro Responsione danda Scrutatori, utitur. An autem è Vero adæquatè satisfecerit Postulatis, videamus.

Responsio ad Postul. I.

Ad I. Postulatum, ait. (Satisfacimus huic Postulato affirmativè respondendo: agnoscimus enim vivum esse sermonem seu verbum DEI & efficacem, discretorem cogitationum & intentionum cordis, cui nihil addendum, vel detrahendum vult Deus, sub interminatione æternæ pænæ. Fatemur cum Propheta ad Legem magìs & testimonium nos duci &c. dicimus insuper, docemusque cum D. Paulo, quòd omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum &c. Hoc igitur Verbum DEI, quod nobis Deus reliquit in S. Scripturæ Libris, agnoscimus esse nostram unicam & sufficientem fidei & vitæ normam, regulam, & Judicem. Quod verò postulet Scrutator,

ut id demonſtremus ex eodem Verbo DEI, ſatisfaci mus ipſi hic, ipſis jam à nobis adductis Verbi Dei locis. An verò aliis eadem regula conveniat, ipſi viderint. Quanquam nobis ſolis convenire vel ex eo patet, quia nos ſoli ex eo ita deducimus articulos fidei, ut textui nihil addamus, nihil detrahamus. Hinc Nomen Trinitatis ignoramus, Patrem quidem, & Filium, & Spiritum S. credimus: Baptizamur quoq; in Nomine Patris & Filii & Spiritûs S. jam matureſcentes ex Matth. ult. & Marci; at diſtinctionem Perſonarum cum identitate eſſentiæ neſcimus, eò quòd de his Scriptura nihil habet. Vide Catechiſmum noſtrum Rateoviæ impreſſum &c.

Non ſatisfacit. Non ſatisfacit, etſi dicat ſe ſatisfacere reſpondendo affirmativè. 1. Quia idem reſpondent & ferè eiſdē verbis Scripturæ Lutherani, Reformati & ceteri heterodoxi, quos rejicit: Quare hac ſua reſponſione petit Principium. 2. Committit Ignorationem Elenchi: neque enim directè reſpondet ad ea tria ſigillatim puncta, quæ proponuntur. 3. Quia dicit, quòd illis ſolis conveniat unica ſufficiens fidei regula & norma S. Scriptura, quia illi ſoli ita ex ea deducunt articulos fidei, ut textui nihil addant nihilque detrahant. Jam autem conſtat, quòd defacto addant & detrahant, id quod ex ipſo ſenſu & explicatione Verborum S. Scripturæ contra communem Eccleſiæ mentem patet: hoc autem eſt magis addere vel detrahere, quàm ſi verba aliqua addas vel detrahas: ipsâ enim illâ diverſâ explicatione & ſenſu plurimùm additur vel detrahitur S. Scripturæ. Hinc Nomen Trinitatis Perſonarum diſtinctarum in Divinis detrahunt illis v. g. Verbis Scripturæ *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.* quibus

bus non mera nomina aut operationes, ſed denotari perſonas tres in Deitate agnovit Eccleſia Catholica quovis tempore. *Addunt*: quando dicunt v. g. baptizandos eſſe *ſolos matureſcentes*; cùm de hoc Scriptura non teſtetur expreſſis verbis: infantes autem & non ſolos matureſcentes baptizandos eſſe ex perpetua Eccleſiæ traditione habemus. Non igitur ſubſiſtit hæc ſatisfactio.

At enimverò vellem noſſe, quid Lutherani, quid Reformati, ceterique ad hanc Reſpondentis ſatisfactionem dicerent? Quomodo illi ſeclusâ Eccleſiæ Catholicæ autoritate ex ſola S. Scriptura refutabunt Reſpondentem, quòd ſcil. malè Trinitatis perſonarum diſtinctionem in una eſſentia Divina non agnoſcat? quòd neget infantes baptizandos &c. eò quòd hæc in Scriptura expreſſis verbis haud legat. Quodſi ad Scripturam recurrerint, eandem obtendunt Sociniſtæ: excipient perverſè ab eis Scripturas intelligi; negabunt, quin idem in Oppoſitos rejicient. Quo tandem Argumento convincent illos erroris? Non ipsâ Scripturâ, quia utriſque eſt communis regula & judex fidei: Non Eccleſiâ; quia hujus autoritatem in fidei controverſiis rejiciunt: non quidquam aliud? quid enim illud præter hæc?

Ad 2. Poſtulatum. Reſpon. (Etſi in hoc Puncto ceteri, qui ſe dicunt Chriſtianos nobiſcum convenirent, nondum ſequitur hoc abſurdum, quod vult ſequi Scrutator: Nam & diverſitas & diſſimilitudo habet, in quo conveniat cum ſibi diverſo, & diſſimili. Sat different à nobis reliqui, quòd prædicto Canone Librorum peſſimè utuntur, trahentes Scripturam non ad mentem Scripturæ. Probare autem Canonem hunc ex Script. *Reſp. ad Poſtulatum 2.*

 ſuper-

ſupervacaneum eſt, cùm juxta benè ſentientium effatum, Prima Principia non ſint probanda &c.)

Non ſatisfacit. Non ſatisfacit. Ob eaſdem, quæ immediatè allatæ rationes. Diverſitas equidem & diſſimilitudo habet quidem, in quo conveniat cum diverſo & diſſimili, ſed in remota & generica ratione v. g. ipſius entis, non autem in proxima & differentiali. Jam autem tam in remota ſeu generica, quàm in proxima ſeu differentiali conveniunt inter ſe diſſidentes Religiones; ſolam S. Scripturam pro norma, regula, & Judice fidei ſtatuentes. Unde haud differentà Sociniſtis reliqui: negabunt enim id, quod de iis aſſerit, nim: quòd Canone S. Scripturæ peſſimè utantur. Prima quidem Principia non ſunt probanda, quando ſcil.: conſtat certò verè eſſe prima Principia hujus vel illius Scientiæ vel artis; ſecùs quando non conſtat certò eſſe talia. Jam autem negamus Sociniſtas & diſſidentes alios habere vera, qualia omninò eſſe debent fidei prima principia. Hæc enim omninò neque alia ſunt, quàm præter S. Scripturam etiam Eccleſia Catholica proponens & docens, ut à nobis probatum eſt in Scrutinio Verit fid. Parte 2.

Reſp. ad Poſtulatum 3. Ad III. Reſpondet. Nihil dubitamus nos habere ſenſum, interpretationem, ſeu expoſitionem Verbi DEI, legitimam, authenticam: Huic enim Spiritus S. qui eſt *ſignaculum fidei*, rationem authentici tribuit. *Rom. 1. 11.* Et verò hanc Interpretationem legitimam & authenticam in noſtra duntaxat Eccleſia inveniri probamus ex S. Script. Si enim *Spiritus S. reddit teſtimonium Spiritui noſtro, quòd ſimus filij DEI:* idem etiam Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſecundùm ejuſdem *Rom. 8. 16.*

dem mentem & ſenſum S. Script. intelligamus, interpretemur, & exponamus.)

Non ſatisfacit. Ob eaſdem rationes, quas ad Primum Poſtulatum adduximus. Rationem equidem authentici S. Scriptura quoad ſe & ſecundùm ſe habet à Spiritu S. immediatè; ſed non per reſpectum ad nos, ut diximus ſup. in Diſcuſſ. Reſponſ. Reformatorum ad 3. Poſt. Concedimus credentes ſeu Fideles velut quodam ſignaculo ſignari per Spiritum S. de quo teſtatur S. Paulus Eph, 1. 3. & ib. 4, 30. ſed ibi nihil agit de authentica interpretatione Script. S: præſertim, quia eodem modo ſeſe ſignatos eſſe per Spiritũ S. dicunt Reformati, & Lutherani & ceteri, quos rejiciunt heterodoxi; aſſeruntque omnes & ſinguli ſe habere authenticam Interpretationem; & tamen horum interpretatio Script. circa præcipuos fidei articulos, ut de SS. Trinitate, de Chriſti D. Divinitate & Perſona, de Sacramentis &c. nullo modo convenit cum interpretatione Sociniſtarum. Annon unus idemque eſt Spiritus, quo ſe omnes hi ſignatos aſſerunt? eccur ergò, diverſos, quin oppoſitos habent ſenſus & interpretationes Script. quoad dictos fidei articulos? Vel igitur Spiritus S. ſibimet ipſi opponitur, quod citra grandem blasphemiam nemo dixerit. Vel illæ interpretationes oppoſitæ proveniunt non à Spiritu S. ſed à proprio privatoque cujusvis Spiritu: & ſic fruſtra dicunt ſe è mente & ſenſu Spiritûs S. Scripturam interpretari. Vel ſi Sociniſtæ v. g. conſtanter aſſeverent ſe ſolos juxta mentem S. Spiritûs eam interpretari, hoc ipſum illis probandum incumbet argumento ex S. Script. deſumpto tali

Non ſatisfacit.

to tali (ut toties postulamus) quod heterodoxæ religiones nullo jure sibi appropriare queant. Quid denique illud ad propositum faciat? non video: quando ait *Spiritus S. testimonium dat Spiritui nostro, quòd simus filij DEI*: Ergò idem dat testimonium Spiritui nostro, quòd secundùm ejus mentem & sensum Scripturam intelligamus. At nonne idem sibi appropriant Lutherani, Reformati & ceteri & tamen diverso sensu quin opposito Socinistis, Scripturam intelligunt & interpretantur? S. Paulus de veris seu orthodoxis tantùm fidelibus ait, quòd eorum Spiritui Spiritus S. det testimonium verum videlicet, quòd etiam verè sint filij DEI: sed nonne accidere potest, ut etiam non veri, non orthodoxi credentes, sibi id adscribant, quod eorum Spiritui testimonium det Spiritus S. quod sint filij DEI, qui tamen possunt esse non DEI filij, sed ex patre mendacij diabolo propter falsam & hæreticam fidem? Idem applicari potest ad sensum & interpretationem Scripturæ. Angelus seu Spiritus utique Sathanæ potest sese transfigurare in Angelum lucis; & hic etiam Spiritui falsò credentium testimoniũ falsum dare potest & quòd sint filij DEI, & quod rectè Scripturam interpretentur, etsi in re neutrum verum sit. Unde igitur constabit reapte & infallibiliter Socinistæ Respondenti, quòd ipse præ ceteris heterodoxis & verè sit credens, & verè Spiritum DEI, non Angelum Sathanæ habeat, qui illi testimonium itidem verum præbeat & de vera filiatione DEI, & de vera interpretatione Scripturæ?

Resp. ad Postulatum. 4.

Ad IV. Postulatum ait: Satisfacimus huic Postulato respondendo affirmativè: una est electa mea, formosa mea, columba mea inquit Spiritus S. Sancta est, quia in nulla alia tanta viget Sanctitas, ut in nostra. Testem deinde appellat Poloniam optimæ Socinistarum conversationis &c. Catholicam quoque & Apostolicam asserit: quia in omnem terram exivit sonus ejus &c. quanquam, ait, homines dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, sed ita oportebat fieri, ut ex multis vocatis pauci essent electi, ii scil. qui odio sunt omnibus hominibus &c. Et vel hinc agnoscat Scrutator, quod apud nos solos veritas doctrinæ Christianæ sit, quia soli odio habemur ab omnibus, at nos benedicimus benedictum Patrem D. Nostri &c.) *Cant. 6. 8.* *2. Cor. 4.*

Non Satisfecit.

Non satisfacit. Nihil enim dixit, quod non possent dicere & Reformati, & Lutherani, ac præcipuè Quakeri, qui etiam vel ex eo suam Ecclesiam volunt esse verè Christianam, quia odio sunt omnibus &c. Deinde odium illud simpliciter non est nota vera Ecclesiæ, sed causa odii respicienda est; si enim quis oderit quempiam propter opus bonum, qualiter Apostolos in odio fore omnibus hominibus prædixit Dominus, illud certè odium nemo probaverit, eratque nota verorū Christi discipulorum: secùs si quis oderit quempiam propter opus malum: propter tale autem opus sunt in odio Socinistæ, quia hæreses ab Ecclesia circa Trinitatem Personarum, Divinitatem Filij DEI &c. dudùm ab Ecclesia damnatas ac sepultas, è cineribus resuscitant.

Resp. ad 5. Postul.

Ad V. Postulatum eodem modo nihil respondet, quòd

quòd non eiſdem planè verbis dicere poſſent Reformat:, Lutherani & ceteri heterodoxi, quos rejiciunt. Dicit enim (quoad Certitudinem, & infallibilitatem eam ſe ex ipſo Verbo DEI, ejuſque ſpiritu haurire. Ipſe enim Spiritus, quo inſpirante Verbum DEI intelligimus & interpretamur, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro non tantùm quòd ſimus filij DEI, ſed etiam quòd ſimus certi de veritate & infallibilitate fidei noſtræ. Hoc reſponſum.

Non ſatisfacit. Non ſatisfacit. Etenim hoc ipſum dicunt heterodoxi. Deinde, quid ſi hic Spiritus ſit Angelus Sathanæ transfigurans ſe in Angelum lucis? &c. Unde neque eandem certitudinem, infallibilitatem, ac perpetuitatem ſufficienter probat ex eo, quia inquit, idem Spiritus appromiſſus nobis docebit nos omnia, item in omnem Veritatem inducet. &c. Neque inde ad extremum rectè concludit, quòd de his omnibus certi ſint tantò firmiùs, quantò evidentiùs, ait, novimus reliquos omnes, qui ſe Chriſtianos dicunt, ſimile teſtimonium Spiritûs nullo modo habere. Hoc enim ipſum eſt in quæſtione. Hoc ipſum eſt, quod de Sociniſtis negant heterodoxi, ſibi autem arrogant. Quidſi inſuper hæc certitudo ſit ſolùm apparens ac fucata, non autem vera reapte? quia non à Spiritu Veritatis, ſed erroris & mendacij, angeloque Sathanæ proficiſcens?

Reſp. ad 6. Poſtul. Ad VI. Poſtulatum. (Satisfactio, inquit, ad hoc Poſtulatum patet ex Satisfactione data ad IV. & V. Etenim illa ſola Eccleſia, quæ eſt una, vera, Sancta, Catholica & Apoſtolica Chriſti Eccleſia habet puram Verbi DEI prædicationem. Atqui ſola Eccleſia

noſtra eſt talis, ut probatum Satisfactione ad Poſtul. IV. Ergo. Et certè quid quæſo impuri in illa Eccleſia doceri poteſt, ubipurum Verbum DEI ſecundùm puriſſimum ejusdem Spiritum intelligitur, exponitur, docetur? tale autem apud nos docetur, ut probatum eſt ad Poſtul. V.)

Non ſatisfacit. Nam eodem planè argumentoutuntur heterodoxi, quos rejiciunt Socinianiſtæ. Hinc conceſſa Majore; Negatur Minor non tantùm à nobis, ſed etiam à ceteris heterodoxis. Probatio ad IV. & V. Poſtulatum non ſatisfacit, ut vidimus ſupra.

Ad. VII. Poſtulatum Reſpondet. (Nomen Sacramenti non admittimus: neque enim ullibi in S. Scriptura exſtat, adeò ut miremur Proteſtantes mordicùs huic nomini adhærere; qui tamen contra Pontificios nihil credere volunt, niſi quod expreſſis & diſertis verbis in Scriptura legitur. Hoc etenim fundamento, & quidem rectè, rejiciunt V. G. Doctrinam de Purgatorio, Invocatione SS., Primatu Petri, & plura alia. Recurrunt quidem illi ad hunc clypeum, quo ſe ſe defendant: quod ſcil: etſi non quoad nomen Sacramenti, tamen quoad ſenſum & rem, doctrinam de Sacramentis ex Scripturis hauriunt: at hoc illos minimè tuetur, ſiquidem Pontificii idem ipſis reponent quoad Purgatorium, & cætera ſup. enumerata lisque perpetua exinde oritur, utranam pars meliùs percipiat ſenſum & rem in Scripturis latentem, etſi nullo nomine inſignitam. Rectiùs igitur facimus nos, non admittentes tam nomen Sacramenti, quàm rem; cùm neutrum ſit à Scriptura deſcriptum & definitum. Si per Sacramentum illi myſterium accipiunt; at neque *Reſp. ad 7. Poſtul.*

hoc nomine baptismus & Cœna D. (quæ duo solùm passim pro Sacramentis habent) appellantur. &c. Baptismum itaque & Cœnam D. non Sacramenta, non Mysteria, sed Ceremonias vocamus: siquidem legimus in Script. vet. Test. quod ea, quæ DEUS voluit observari, vocaverit Ceremonias. Ceremonias servabitis. Gen. 26. Quia verò etiam in nova Lege Christus D. voluit observari & impleri baptismum dicendo: Ite in mundum &c. baptizantes eos &c. Voluit & Cœnam ultimam observari, dum dicit: Hoc facite in meam commemorationem; rectè hæc non Sacramenta, sed Ceremonias vocamus novæ Legis; Ut igitur nos soli rectè & Verbo DEI conformiter Nomen; sic & rem Ceremoniæ in baptismo & Cœna D. tenemus, de quibus fusiorem doctrinam vide in Libris nostris.

Non satisfacit. Non satisfacit. Quia quamvis nomen Sacramenti non admittat, solùm Ceremonias dicat esse ea, quæ ab aliis Sacramenta vocantur: nondum tamen probat, quod illi soli habeant legitimam suarum Ceremoniarum administrationem. Etenim & Mennonistæ seu Anabaptistæ Ceremonias baptismum & Cœnam D. dicunt, hæcque sub hoc nomine Ceremoniarum administrant. Vel igitur hæc soli Socinistæ legitimè administrant, vel non? si non: Ergò illi soli non gaudent hâc notâ veræ Ecclesiæ scil. administratione legitimâ Ceremoniarum: Ergò neque illi soli habent veram Ecclesiam. Si autem illi soli eas legitimè administrant hoc, ipsum probandum foret, siquidem & Anabaptistæ seu Mennonistæ illas se legitimè administrare asserunt, & tamen suâ Ecclesiâ seu cætu discrepant ab Ecclesia & cætu Socinistarum. De-

Deinde contra Protestantes arguit, quòd non rectè sentiant baptismum & cænam D. dici Sacramenta eò, quòd hoc nomen Sacramenti in Scriptura neutri horum tribuatur: quo igitur jure eisdem nomen Ceremoniæ tribuit, cùm in S. Scriptura hoc illis nomen neque à Christo D. neque ab Apostolis datum sit? Quòd autem ait DEUM in Vet: Test: mandâsse, ut observarentur Ceremoniæ, non evincit baptismum & Cœnam D. debere dici Ceremonias: nam ibi expressè disertisque verbis nomen Ceremoniæ exprimitur. In novo autem testamento nullibi baptismus & Cœna D. vocatur expressis verbis Ceremonia. Præcepit quidem D. JESUS baptismum & Cœnam suam, sed an debeant hæc esse & vocari merè Ceremoniæ, an verò Sacramenta & mysteria? quæstio est; quæ cùm non decidatur à Scriptura: Eccur illam decidere præsumunt Socinistæ, Annon, dum hæc agunt seipsos potiùs statuunt regulam & Judicem fidei, non Scripturam?

Satis quidem ille benè arguit contra Protestantes insistentes uni eidemque fidei principio & Regulæ S. Scripturæ: neque video, quid illi ad hæc respondere possint ad convictionem intellectûs: nihilominus Ecclesia Catholica benè noscens baptismum & Cœnam D. in Scriptura S. nomine Sacramenti haud vocari, hoc nomen eisdem ceterisque tribuit, ex communi sensu & consensu Ecclesiæ in Conciliis & SS. PP. Dicimus enim cum D. August. de baptis. contra Donat. l. 7. c. 58. *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate Sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione D. Dei nostri*

& Salvatoris JESU Christi Universalis Ecclesiæ confessione est roboratum.

Resp. ad 8. Postulatum. Ad VIII. Postulatum. (Satisfacimus, ait, huic postulato affirmativè. Nostri enim Ministri sunt, quales requirit Paulus ad Timotheum & ad Titum scribendo. Neque necesse est, ut sint specialiter missi: nihil enim novi nuntiant, quod jam ante non sit prædicatum: nec obest, quod S. Paulus ad Rom. scribens dicat, quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Loquitur enim D. Paulus eo tempore, quo doctrina Christi unica novitas erat: sed quia Prædicatio nostri temporis, non est novæ rei, non opus est, ut Prædicantes specialiter mittantur, sed quilibet habens testimonium bonum, & alias conditiones à S. Paulo requisitas, censebitur verus & legitimus Minister: quanquam hæc duo apud nos diversa sunt Prædicans & Minister. Prædicans est, qui præest Verbo Dei. Minister, qui Pauperibus ministrat ex collectis Ecclesiæ.

Non Satisfacit. Non satisfacit. Quia hoc totum paucis immutatis sibi applicare possunt ceteri, quos rejiciunt heterodoxi. Deinde negatur, Ministros non debere esse specialiter missos: nec ratio, quam adducit, convincit. Quid si enim aliquid nuntient, quod ante non sit prædicatum? uti defacto præterito seculo tot Sectæ exorientes, imò & hoc seculo Quakieri nova nuntiant, quæ ante non fuerant prædicata. Imò fatetur ipse Respondens ad finem suæ Satisfactionis, posse quempiam adinvenire aliam adhuc Sectam & doctrinam inauditam, quæ ad defendenda sua erronea dogmata adminiculo S. Scripturæ utatur. Nunquid igitur is, qui talem novam doctrinam spargeret, non esset examinandus, cur

talem

talem doctrinam prædicat ? an & à quo ſit vocatus, miſſus ad illam prædicandam ? Ne igitur id contingat in Eccleſia; ſed ut potiùs unam & conformem univerſali Eccleſiæ doctrinam M niſtri prædicent, debent neceſſariò legitimè vocari, inſtitui, mitti ad prædicandum. &c. Ne in eos cadat illa Dei apud Prophetam contra tales querela & comminatio: Væ Prophetis!

Unde etiam ob eandem cauſam rectè Paulus ait: quomodo prædicabunt, niſi mittantur? adeoque fallitur Reſpondens in interpretatione ejuſdem. Imò vel ex eo, quia addit (quilibet habens teſtimonium bonum & alias conditiones à D. Paulo requiſitas, cenſebitur verus & legitimus Miniſter) requiritur, ut prius examinetur, vocetur, inſtituatur, mittaturque ab iis, qui ad id altiorem habent poteſtatem & autoritatem, aliàs cenſebitur à ſemetipſo vocatus & miſſus, non autem ab alio: conſequenter non legitimè; quia non per oſtium ordinarium intràſſe in ovile Chriſti: ac tandem fur erit & latro, non Paſtor ovium.

Ad IX. Poſtulatum. (Jam reſpondimus ait; non eſſe veram Eccleſiam (ſupple Romanam) ideoque ſi quod jus habet Eccleſia in reformationem à ſe diſſidentium, ſaltem vi charitatis id noſtra Eccleſia quoque habebit. Nec defacto pepercimus labori & ſollicitudini, ut inchoatam à Magno illo cælitùs dato germanis Apoſtolo (Lutherum loquor) Eccleſiæ reformationem nos ad ſummum deduceremus. Non enim unus omnia poteſt, ſed dies diei eructat verbum & nox nocti indicat ſcientiam. Libenter agnoſcimus Lutherum bona poſuiſſe initia, multasque rejeciſſe humani ingenii traditiones, ſed non omnes. Nos eo poſteriores *Reſp. ad 9. Poſtulatum.*

steriores puram & tutam fidei Regulam S. Scripturam statuentes, consequenter quidquid non est scriptum rejicimus, hac via ad illam primam Ecclesiæ doctrinam pervenimus &c. Verùm quòd studia & conatus nostri haud ex animi voto cesserint, illi id relinquendum, qui ex altissimis suis judiciis ore Filii sui D. nostri JESU Christi effatus est: Oportet ut veniant scandala. Et ore discipuli: Oportet hæreses esse.

Non Satisfacit. Non satisfacit. Tum propter allatas ante rationes. Tum quia nondum probavit Ecclesiam Romanam non esse veram Ecclesiam; adeoque nec concedimus Socinistas habere jus in reformationem illius, etiam vi charitatis: talis enim charitas ficta potiùs & fucata est, quàm vera. Incassùm fuit illorum labor & sollicitudo; quia, ut ait Propheta, absque palea & temperatura liniebant parietem luto. Ezech. 13. 11. de quo vide plura in Scrutinio veritatis fidei p. 41. Magnum vocat Apostolum germanis datum Lutherum, quem nos pro tali haud admittimus germanis datum ait, Ergò non toti mundo. Ergò non Apostolum: quia his dictum: Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ. De illis quoque Propheta: in omnem terram exivit sonus eorum &c. Eccur tam Magni Apostoli Doctrinam non amplectuntur Socinistæ: Inchoâsse eum duntaxat reformationem agnoscit, ad summum autem deduxisse Socinistas: Ita omninò ad summum dedecus Christianitatis, sublato nimirum suâ doctrinâ DEO vero, Christianorum uno in essentia, trino in personis, tum & DEO homine in Persona Verbi subsistente Salvatore omnium hominum. Agnoscit Lutherum bona posuisse initia refor-

reformationis multasque rejecisse humani ingenij traditiones, sed non omnes. Ergò is erat Magnus Apostolus à DEO missus, à Spiritu Sancto inspiratus, qui proinde similis illi architecto, quem D. Salvator noster risui exponendum judicat: hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare. Vel hanc reformationem cæpit ex Spiritu S., vel non? Si non; ergò ex Spiritu Sathanæ. Cur ergò dicitur Magnus Apostolus? An igitur bona posuerit reformationis fundamenta? Si autem ex Spiritu S.; Cur hanc non perfecit ex eodem Spiritu? Cur Socinistæ eandem non plenè ac totaliter acceptàrunt? Cur tot rejecerunt articulos, in quibus non solùm tanquam in adiaphoris, sed & fundamentalibus inter illos differentia. Vel bona initia posuit Lutherus, quæ à Socinistis malè àd summum deducta? quod negabunt Socinistæ. Vel ille mala initia posuit, quæ ab his benè deducta? quod non admittent Lutherani. Vel denique nec ille bona initia posuit nec ab his benè ad summum deducta, & hoc posterius certissimum & admittant utriq;, necesse est. Bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus. Si bona initia Lutheri, cur non ad summum ab eodem deducta? Ergò eo ipso non integram faciunt Causam: Ergô potiùs malum ostendunt ex singulis defectibus. Si denique in Uno deliquisse agnoscunt Socinistæ Lutherum, factus est omnium reus è sententia D. Jacobi. Quomodo igitur, Magni Apostoli nomine dignus? Fateantur potiùs, id quod est Veritati conforme, nec Lutherum nec Socinistas jus reformandi Ecclesiam habuisse, adeoque eorummet reformationem esse nullam. *Resp. ad* 10. *postulatum.*

Ad X. Postulatum. (Satisfit, inquit, huic Postulato

jam ex dictis. Illa etenim Ecclesia sola tale, quale requirit Scrutator, habebit symbolum, quæ sola est una, Sancta, Catholica, & Apostolica &c. constat autem nostram solam Ecclesiam esse illam veram, unam, Sanctam &c. Ergò.

Non Satisfacit. Non satisfacit. Quia concessa majore, negamus minorem; tum quia idem respondent ceteri, hinc petitur principium. Tum quia non respondet directè ad postulatum; unde committitur Ignorantia Elenchi. Tum quia non probat, quod asserit, quo iterum petitur Principium.

Resp. ad 11. Postul. Ad XI. Postulatum. Patet, ait, responsio jam ex dictis. Et certè evolve Catechismum nostrum impressum Racoviæ seculi hujus anno scilicet post Christum natum 1612. Quid in eo, quod non sanctum, non pium, non verum, non Catholicum & Apostolicum sit, invenies? Totus, quantus quantus est, sacræ literæ sunt.

Non Satisfacit. Non satisfacit. Quia idem dicunt heterodoxi de se: non respondet directè: nec probat quod asserit. Catechismum Racoviensem nihil sanctum, nihil pium, nihil verum, nihil Catholicum & Apostolicum continere, demonstravêre tum alij, tum D. Nicolaus Crichovius in suis doctissimis Libris.

Resp. ad 12. Postulatum. Ad XII. Postulatum. Ultima responsio sistit in admiratione cc. (Miramur, ait, certè Scrutatorem ad hasce methaphysicas Hypoteses & suppositiones descendere. Quis enim dubitat posse quempiam adinvenire aliam adhuc sectam & doctrinam inauditam, quæ ad defendenda sua erronea dogmata adminiculo S. Scripturæ utatur? Cùm ut supradictum est ex Paulo,

Oportet

Oportet hæreses esse. Nulla enim est hæresis, quæ non ad palliandos errores suos adducat velamen Scripturæ, quod & in Sectis antiquæ legis videmus. Potest insuper Angelus Sathanæ se in Angelum lucis transfigurare. Cur non & novam specietenùs & apparenter veram ex Scriptura comminiscere religionem?

Præterea prædixit jam Veritas Christi D. tales pseudo-Prophetas & Pseudo-Christos venientes in vestimentis Ovium, qui tamen intùs sunt futuri lupi rapaces. Dixit & Apostolus: Venient in novissimis temporibus homines &c. Non est igitur dubitandum, quin novæ sint exorituræ doctrinæ S. Scripturâ se se tutantes velut tutissimo præsidio fidei. At verò, ut aliqua nova in lucem prodeat, quæ sit vera, pia, sancta, Apostolica &c. religio, hoc planè est impossibile, dicente Paulo: unus Dominus, una fides, unum baptisma.

Non Satisfacit. Quia nihil respondet ad propositum. Mirari autem desinet Respondens; si animadvertit, non esse has Metaphysicas hypoteses & Suppositiones, quæ utique ipsosmet Socinistas & alios quoscunque heterodoxos uni eodemque principio & regulæ ac Judici fidei scilicet S. Scripturæ, Ecclesiæ Catholicæ autoritate rejectâ inhærentes involuunt. Unde si non dubitat posse quempiam adinvenire aliam adhuc Sectam & doctrinam inauditam, quæ ad defendenda sua erronea dogmata adminiculo S. Scripturæ utatur; certus sit talem omninò esse suam à Socino inventam; neque illi dissimiles alias quascunque dicto principio

Non Satisfacit.

se se infundantes. Hinc de sua Secta & de similibus dictum à D. Paulo existimet: *Oportet hæreses esse*; Vel ex eo ipso, quia more aliarum hæresium, (ut ipse fatetur de illis, adeoque contra semetipsum telum subministrat) ad palliandos errores suos adducit velamen Scripturæ. Posse ait *Angelum Sathanæ se se in Angelum lucis transfigurare*: adeoque & novā specietenùs & apparenter veram comminiscere ex Scriptura religionē; id certè uti & reliqua de Pseudo-Prophetis &c. de novissimis temporibus de suamet propria religione verè dictum ab eodem extorsit ipsa Veritas. Neque etenim eo, quo postulatur modo, demonstrat suam religionem esse ita veram, piam, Sanctam, Apostolicam &c. ut nulla alia similis ex eodem principio videl: S. Scriptura adinueniri possit. Nam Lutherus & Calvinus & Menno suam talem esse dixit, & tamen Socinus aliam diversam imò oppositam ex eadem S. Scriptura commentus est: & nuper Quakierorum antesignanus Robertus Barclaius aliam orbis judicio exposuit in suis theologicis thesibus: aliam Autor Confessionis Evangelicæ purioris, quæ in Scrutinio Verit. fid. fusiùs adducuntur. Quin imò & à nobis insuper duæ diversissimæ prorsùs ab omnibus his excogitatæ sunt Confessiones eidem principio & regulæ S. Scripturæ se se infundantes: quarum utraque evidentibus planè ad speciem Scripturæ testimoniis probat. Prima quidem quod S. Scriptura sola, Ecclesiæ authoritate rejectâ, sit Regula & regulans seu Judex fidei. Si tamen quidpiam claris ac disertis verbis haud exponit, & est circa illud inter dissonas partes controversia; in eo liberum esse cuicunque harum parti adhærere: altera au-

tem ex eadem S. Scriptura deducit eodem principio præsupposito neutri assensum præbendum, sed judicium suspendendũ esse, atq; soli DEO decretoriam relinquendum sententiã. Non audeo hasce Confessiones ex sola S. Scriptura proprio nimirum sensu & interpretatione privati Spiritûs ad speciem veri desumptas orbi palàm facere, ne fortè debiles nec satis firmæ in fide mentes peregrino imbuantur veneno, atque pro theriaca toxico pernicioso inficiantur; si cui tamen curioso Veritatis Scrutatori placuerit illas lustrare oculis ac mente, in sole positas apud me habebit.

Quæro tandem, cuinam omnium harum religionum tam diversarum imò & oppositarum ex eadem S. Scriptura deductarum potior danda fides, quod scilicet sit una, vera, Sancta, Apostolica &c. ita ut ceteræ omnes quæ sunt, & quæ insuper inveniri possent, ex S. Script. sint falsæ & hæreticæ? Et ad hoc quidem postulatum nihil responsum, atque ideò Satisfactio Respondentis evanescit: unde neque meritò dimitti à nobis potest ut Act. 17. dimissus fuerat Paulus & Syla (quo exemplo concludit sua dicta) à Judicibus & Primoribus civitatis; neque etenim accepimus satisfactionem talem, qualem illi accepêre, & qualem ab eo requirebamus. Hinc ad extremum illi ejusque Sodalibus gratiam efficacem agnoscendi non fucatam Veritatem, & Pacem ineundam cum Ecclesia Catholica Romana à DEO Patre & CHRISTO JESU Salvatore nostro, ex intimo animi sensu precamur.

CONCLUSIO
CUM
ANACÆPHALEOSI
ad Auctores Responsorum ac Benevolum Lectorem.

PRopoſuimus nomine *Scrutatoris Veritatis* duodecim poſtulata omnibus à Romanâ Catholicâ Eccleſiâ, atque inter ſe ſe Diſſidentibus Neo-Evangelicis, per modum Prodromi ipſius *Scrutinii Veritatis fidei.* Reſponſum ad illa nomine Lutheranorum, Calvino-Reformatorum, Sociniſtarum, Quakerorum. Hæc à nobis hactenus diſcuſſa ſunt, eâ quâ non religioſum duntaxat, ſed & Chriſtianum decebat, animi modeⁱratione; & quâ ipſa Veritatis ratio requirebat ſeveritate; & quod eadem ad æquitatis Stateram apponebat argumentorum pondere. Supereſt veſtra Auctores Reſponſorum, quotquot in vivis eſtis, ingenua veritatis Confeſſio; Tuum Lector benevole, abſque affectu partium juſtum judicium, pro Scrutatore Veritatis, hanc inconcuſſam ſtare Veritatem; Nimirum: ſiquidem omnes & ſingulæ Neo-Evangelicæ hodiernæ religiones, unum idemq; fidei Principium, Regulam, ac Regulantem, ſeu Judicem fidei, *ſolum* Verbum *DEI ſcriptum, Eccleſiæ Catholicæ Autoritate Chriſti D. in terris Vicaria prorsùs rejecta*; aſſumunt: Sequi omninò ac neceſſariò; quòd vel omnium eſſe debeat vera fides, vera Religio ac Confeſſio: ſiquidem eſt omnibus unum Principium, Regula, & Judex fidei videl. *S. Scriptura*, vel ſi hoc non admittas (ne ex tot tamque diverſis ac oppoſi-

positis Religionibus unam Babylonicam Confusionem fabrices, vel licentiosum libertinismum in orbis theatrum inducas, nulla sit omninò vera fides & religio: siquidem nulla, hæc, quæ duodecim postularis, tanquam fidei ac Religionis uniuscujusque fundamenta sunt amicè proposita, probare potest argumento, ex eadem fidei Regula, & Judice S. Scriptura desumpto: idque tali, quod nulla alia sibi appropriare & adscribere possit.

Jd porrò ita se omninò habere, hæc Apologeticorum pro Scrutatore Scrutinioque Veritatis prima Pars ad oculum demonstrat: Quid enim nomine Lutheranorum, in *Detectione Veritatis*, detectum? quo non Calvino-Reformati, quo non Sociniani, quo non Quakeri, & quicunque heterodoxi idem principium & regulam fidei usurpantes, se se protegere possint? Quid item *Judicium & Responsio* nomine Calvino-Reformatorum vulgata, in se continet? quod non ambabus, ut ajunt, manibus Lutherani, Sociniani ac cæteri pro sua religione apprehendant? Quid Socinistarum *Satisfactio?* an non & ab aliis eodem jure usurpetur? Igitur detecta nondum Veritas: nondum sufficienter ad postulata responsum: Satisfactionis nihil accepit *Scrutator veritatis.*

Quamobrem flagrantissimè omnes, & singulos obsecrat & obtestatur, ne porrò ab unicâ fidei ac Religionis Veritate indagandâ animum deponant, vel ex eô, quod pro generali ac fundamentali ratiociniô & argumentô assumit Scrutator: quia nimirū *Illi Religioni, quæ id, quod à Scrutatore Veritatis Duodecim Postulatis ab omnibus & singulis petitur, demonstrare potest, quisq; mortalium,*

tutâ

tutâ & securâ conscientiâ fidere, adhærere; verbo vitam in ea degere, atq́ ultimum obire diem potest meritò & debet, absque salutis vitæque æternæ manifesto periculo atque interitu.

Atqui Nulla est Religio Dissidentium Neo-Evangelicorum seu Lutheranorum, seu Calvino-Reformatorum, seu Socinistarum, seu Anabaptistarum & Mennonistarum, seu Quakerorum, seu quorumcunque aliorum, uni eidemque principio & regulæ fidei videlicet S. Scripturæ, rejecta Ecclesiæ autoritate se se infundantium, quæ id, quod Scrutator Veritatis 12. Postulatis ab omnibus & singulis petit, demonstrare potest.

Ergò nulli illarum religionum Dissidentium Neo-Evangelicarum, seu Lutheranorum, seu Calvino-Reformatorum, seu Socinistarum, seu Anabaptistarum & Mennonistarum, seu Quakerorum seu quorumcunque aliorum uni eidemque principio & regulæ fidei Videlicet S. Scripturæ, rejecta Ecclesiæ Catholicæ autoritate, se se infundantium, quisquam Mortalium, tutâ & securâ conscientiâ fidere, adhærere, verbo vitam in eâ degere, atque ultimum diem obire meritò potest nec debet citra salutis vitæque æternæ manifestum periculum imò interitum.

MAJOR est certa, ut probatum est hìc in Responsi Lutherani Capitis 3. Discussione.

MINOR quoque certa est, id quod in præcedentibus sat superq́ue probatum.

Non enim vanus fueram Vates, nomine *Scrutatoris* præsagiens nullam hodiernarum, Neo-Evangelicarum, cujuscunq́ue sit nominis ac professionis religionum, id præstituram, quod hisce 12. Postulatis ab omnibus & singulis requiritur, non dico superficialiter, levidensè, ac suprema manu velut fucum aut fascinum simplicium mentium oculis superinducendo; sed certis, firmis, apodicticis, adeoq́ue convictivis, idq́ue ex

unico omnium & ſingulorum principio & Regula fidei S. Scripturâ aſſumptis argumentis, ad contentationem videlicet & ſatisfactionem, Veritatem ac Salutem æternam perſcrutantis animi.

CONCLUSIO denique certa eſt; quia ex præmiſſis certis ſuaptè natura fluens.

Quæ cùm ita ſint, agnoſcite tandem ingenuè Diſſidentium omnium, Neo-Evangelicarum Religionum & Magiſtri, & Diſcipuli atque Auditores, præter S. Scripturam debere omninò aliud dari Principium fidei, ſeu regulam, ut ita dicam, activam, regulantem, Interpretem atque arbitram mentis, ſenſuſque divini in S. Scripturâ profundè latentis. Et hanc non eſſe aliam, quàm Eccleſiam Catholicam idque ſigillatim Romanam, Matrem, Caput, Radicem, Magiſtramque omnium aliarum à totâ ſanioris Sensûs Eccleſiâ ſemper habitam, id quod fuſiùs in Scrut. Verit. P. 2. Regiaque Via probamus.

Hanc enim S. Ignatius M. *Eminentiâ dignam.* Hanc D. Irenæus vocat *maximam, antiquiſſimam, & omnibus cognitam, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatam & conſtitutam Eccleſiam. Ad hanc,* quoq; ait, *Eccleſiam* PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM, *neceſſe eſt* OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM, *hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles.* Hanc idem appellat *Radicem, & Matricem Eccleſiæ Catholicæ.* De hac Tertull. conteſtatur; *quòd verè ſit ab Apoſtolis tradita, & conſtituta, quæ Originem ſuæ Eccleſiæ edere, ordinemque Epiſcoporum ſuorum evolvere, per ſucceſſiones ab initio decurrentem poſſit, ita, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis autorem & anteceſſorem habuerit. Etenim Clementem ordinatum*

S. Ignatius Epiſt. ad Rom.

Iren. L. 3. C. 3.

Idem Epiſt. 45.

Tertull. lib. de Præſcript. C. 32.

natum à Petro edit, ac proinde Apostolici seminis traducem habet. De hac quoq; ait: *Habes Romam, unde nobis* (Afris) *quoq; autoritas præstò est. Felix Ecclesia, cui totam Doctrinam Apostoli cum Sangvine suo profuderunt &c.* Hanc D. Athanasius appellat *Sedem Sanctam, & Apostolicam, Matrem, & Caput omnium Ecclesiarum.* Cujus *Sedis Episcopis omnium Episcoporum judicium, omnium Ecclesiarum curam commissam fuisse*, testatur Concilium Alexandrinum. *In quam potestatemque Romanorum Pontificum, qui in ea sedent* (fatente Maximiano Constantinopolit. Patriarcha aliàs Primatum sibi in Ecclesia orientali vindicante) *ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes, tanquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt.* Cui, ut idem paulò post ait, *in Petro Cathedram Magisterii principaliter possidendam Christus D. tenere perpetuo privilegii jure concessit:* ac propterea à Cypriano *Ecclesia Principalis*, dicitur; *Cujus fides Apostolica voce laudata ejusmodi* (videlicet hæreticorum errorumque) *præstigias non recipit*, teste Hieronymo; *nec ad eam perfidia habere potest accessum*, teste Cypriano. Quin *eandem multis privilegiis ornatam esse*, ac *præcipuè fide, D. Pauli clarissimâ voce commendatam.* Scribit Theodoretus: Quæ & longævâ antiquitate, & universalitate amplissimâ, & unanimi consensione perpetuâque successione doctrinæ, Doctorum, atque Episcoporum, præcipuè in Apostolicâ D. Petri sede præ omnibus aliis non ex vano gloriatur, id quod verè Catholicam Ecclesiam manifestat, è mente Tertulliani, D. Augustini, Hieronymi, Optati Milevitani, Vincentii Lyrinen: aliorumque S. S. Patrum, quod ipsum fusiùs declaravimus Scrutinii parte 2. *Cui nolle primas dare,*

Ibidem cap. 36.

Athan. Epist. ad Marc. Pontificem Rom.

Concil. Alex: Sub S. Athan.

Maximianus Constant. Patriarcha Epist. ad Orient.

Cypr. L. 1. Ep. 3.

Hieron. Lib. 3. Apol. cont. Ruff. C. 4.

Cypr. ep. 55.

Theodor. ep. ad Leonem Pontif.

vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis ignorantiæ, ait D. August. *Quam cùm sit omnium gentium dicere jam non esse, periisse,* aut defecisse, ait idem *esse vocem abominabilem, & detestabilem, præsumptionis, & falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ Sapientiâ illuminatam, nullô sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam.*

D. August. de Utilit: credendi C. 17.

Idem in Psalm. 101. Conc. 3.

A quâ proinde quisquis segregatus fuerit, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod â Christi unitate sejunctus sit, non habebit vitam, sed Ira DEI manet super illum ait idem D. August. Nam *quo pacto,* ut idem confirmat Cypr.; *qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia, se esse confidet?*

Idem Epist. 151.

Cyprianus de Unit: Ecclesiæ.

Concludamus ad extremum Viri Sancti Hyppoliti sancto Consilio apud Veterem Christianum Prudentium dato, tum quidem Novatianis; sed & etiamnùm Dissidentibus omnibus serviente.

---Fugite! ô miseri! execranda Novati
(Lutheri, Joannis Calvini, Socini. &c.)
Dogmata, Catholicis credite vos Populis.
Una fides vigeat prisco quæ condita sæclo est;
Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri.
(liceat pro colophone adnectere)
Tunc ex optatâ gaudebunt pace fideles,
Tunc erit unus honos Numinis, *unâ* salus.
FIAT! FIAT!

APPEN-

APPENDIX
Quâ
Reſponſum Quackerianum Scrutatori Veritatis ad Poſtulatum V. per *Georgium Keich* datum, nullum declaratur.

ADducit inprimis Poſtulatum ; deinde non pauca per VIII. Paragraphos ediſſerit, quæ quia nihil, aut velut umbra duntaxat ad rem propoſitam accedunt, non eſt, quod illis immoremur.

Reſponſio Quakerorum. Tota reſponſi vis in hoc conſiſtit. Affirmat, quòd illi, qui per contemptum Quakeri dicuntur, certitudinem, infallibilitatem & perpetuitatem ſuæ fidei & Eccleſiæ habeant cum omnibus veris Chriſtianis, ubicunque terrarum vivant, & quocunq; nomine intitulentur. Et id quidem poſſunt demonſtrare primò & quidem principaliter per Spiritum S. Secundò conſenſu illorum fidei & vitæ juxta S. Scripturam. Et quidem tali probatione, quam nullus falſus Chriſtianus ſibi adſcribere & appropriare poſſit.

Si porrò quæratur, quænam ſit illorum demonſtratio. Reſpondent Verbis Apoſtoli Pauli: *ſiquidem experimentum quæritis ejus, qui in nobis loquitur Chriſtus? tentate, Vosmetipſos, probate,* & judicate *an in ea ſitis fide? an Vos in Vobismetipſis agnoſcatis? quòd JESUS Chriſtus ſit in Vobis? an Vos fortè non ſitis* ἀδόκιμοι, hoc eſt, absque probatione, absque aptitudine probationis in Vobis ipſis. *2. Cor. 13, v. 3.* Quia Chriſtus eſt in omnibus ſuis Sanctis, hæc ipſa probatio, quando in illis quodam certo modo & ratione tales fructus profert, quales in ſemetipſo, quando inter homi-

homines conversabatur, in suo corpore monstravit. Et quidem talem probationem DEUS & Salvator noster Christus ipse instituit, quando ait: *ex fructibus eorum cognoscetis eos*: & alibi: *sic luceat lux Vestra coram hominibus, ut videant opera vestra &c.* Qui igitur sunt adeò cæci, & spiritualibus oculis carent, tam lumen Sanctorum, quàm sua opera agnoscere nequeunt. Scrutatori denique optat, ut aperiat suos, si quos habet, oculos, & dirigat ad lumen JESUM Christum, &c. &c. Hæc Responsio.

Non satisfacit. 1mo Quia totum id quod respondet, possunt sibi cæteræ heterodoxæ religiones pari ratione adscribere; imò defacto adscribunt id, quod videre est in responsionibus supra adductis ad postulatum V. *Non satisfacit* 1.

2do. Quia id, quod asserit, non probat: dicit enim se id demonstrare & quidem *principaliter per Spiritum S.* At verò unde certus est, quod id habeat per Spiritum S. & non potiùs per *spiritum erroris?* de quo D. Joannes in sua Epistola. Ipse hic, de quo agit, Spiritus nonne prius probandus, an ex Deo sit? juxta ejusdem monitum. Nonne & *Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis?* adeoque sub specie Spiritûs S. potest spiritus Sathanæ subesse. Probat deinde idem 2do. *consensu illorum fidei & vitæ juxta S. Scripturam.* At verò hoc ipsum adscribunt sibi & Lutherani, & Reformati, & ceteri: Cum quibus Quakerorum fides & vita minimè convenit: quos etiam tanquam heterodoxos rejiciunt, eorumque reformationem prætendunt, ut dictum est in Scrutinio Verit. fid. pag. 85. adeoq; hæc probatio non erit talis, quam nullus falsus Christianus sibi adscribere possit.

Marginalia: 2. — 1. *Joan.* 4, v. 1. *& seq.* — 2. *Cor.* 2, 11.

3. Non ſatisfacit 3tio. Etiam id quod ait: *Si porrò quæratur, quænam ſit hæc illorum demonſtratio? reſpondent Verbis Apoſtoli Pauli: Siquidem experimentum quæritis ejus, qui in nobis loquitur Chriſtus &c.* Unde etenim illis, quod id ſibi adſcribant, quod D. Paulus ſibi ex ſpeciali revelatione DEI adſcribit. Qui utique cum Chriſto

Act. Apoſt. 9. Domino ipſo locutus in via: qui *raptus in tertium Cœ-*

2. Cor. 12. *lum audivit arcana Verba, quæ non licet homini loqui:* qui

Gal. 1. 11. ſe ait *Evangelium à nullo hominum accepiſſe, neque didiciſſe ab ipſo.* Deinde nunquid & Lutherani, & Reformati, & ceteri id de ſe non dicent? quòd in illis loquatur Chriſtus, & tamen diverſa à Quakeris docent. Cui itaque horum danda fides potior, hiſce an Quakeris? quòd in illis loquatur Chriſtus? Probationem quidem talem Chriſtus D. ipſe inſtituit, *ut ex fructibus cognoſcamus*, hominem bonum ac virtuoſum velut bonam arborem ex bonis fructibus: at hanc probationem omnes ſibi appropriant: quæ enim eſt Religio, quæ ſibi non appropriet fructus bonorum operum? etſi nulla ſit, in qua non etiam mali bonis ſint permiſti. Illi tamen ſolum veri, non fucati fructus boni cenſendi ſunt, qui in vera Eccleſia exercentur. *Qui enim non audierit*

Matth. 18, 17. *Eccleſiam, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus, & qui non colligit mecum, diſpergit,* & S. Aug. Epiſt. 151. *Quisquis ab Eccleſia Catholica ſegregatus fuerit, quantumlibet, lauda-*

Luc. 11, 23. *biliter ſe vivere exiſtimet: hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate ſejunctus ſit, non habebit vitam, ſed Ira DEI manet ſuper illum.* Nemo itaque ſibi de bonis operum fructibus blandiatur, ſi non ſit in corpore, id eſt Eccleſia Chriſti vera & Catholica.

Porrò ut nosmetipſos Catholici tentemus, pro-

bemus,

bemus, judicemus, an in vera ſimus fide? an JESUS Chriſtus ſit in nobis? non eſt neceſſe: tenemus enim eam fidem, quam velut pretioſum depoſitum à mille & tot centenis annorum in Eccleſia Catholica Romana integrè ad hæc usque tempora conſeruari gaudemus. Hinc nec dubitandum, JESUM Chriſtum in hac ſua Eccleſia eſſe, lumenque ejus in fidelibus Orthodoxis lucere, atque dignos ſe fructus vitæ ſuæ conformes operari, operaturumque eſſe, prout per mille & tot ſecula hactenus operatus eſt ubique terrarum, in zelo Apoſtolico per converſionem tot Gentium Infidelium: in imitatione Chriſti D. Paupertatis, Caſtitatis, obedientiæ, aliarumque Virtutum tot Anachoretarum, Monachorum, Religioſorumque tam virorum, quàm mulierum: in profeſſione ſangvinis ac vitæ tot Martyrum: In ſanctitate tot Confeſſorum, virorum ac mulierum. Quis cuncta enumeret? Loqvuntur id Hiſtoriæ, teſtantur Faſti, Annales & Acta uniuscujusque *Regni, Provinciæ, Urbium, Epiſcopatuum, familiarum &c.*

Utinam verò hic Autor unà cum ſuis ad tam manifeſtum & admirabile Lumen Veritatis fidei orthodoxæ aperiat oculos, quod ut ei concedat unà cum aliis diſſidentibus *Pater Luminum, à quo omne datum optimum, omne donum perfectum deſurſum deſcendens,* *Jacobi* I, 17.
ſuppliciter & ardenter efflagitat
Scrutator.

INDEX

INDEX RERUM.

quod

colligit,

ERRATA *sic corrige.*

Pagina 22. v. 9. Nehem. 8 8 lege 8.8. p. 27. v. 8. toto leg. solo. p. 39. v. 14. si leg. sit. p. 50 v. 8. ducturi, leg. electuri. p 51. v. 5. Viam leg. iram. p. 57. v. 5. religioni, leg. religionis. p. 64. v. 9. infallibilitatem *omissum* ob. p. 68. v. 2. Vicario XI. leg. Vicario Christi. p. 70 v. 18. statuo, leg statuere. p. 73. v. 11. amplectendo leg. amplectendi. p. 80. v. 5. sargit leg. spargit. ib. v. 11. sequamini leg sequimini. p. 82. v. 6. donibus leg. ditionibus. p. 84. v. 12. Ratcoviæ leg. Rakoviæ. p. 90. v. 24. reapte leg. reapse. p. 98. v. 23. D. Nicolaus Crichovius leg. P. Nicolaus Cichovius. ib. v 5. à fine hypoteses leg. Hypotheses. p. 102. in titulo Anacæphaleosi leg. anacephalæosi.

FINIS.

INDEX RERUM.

eorum

Hono-

ER-

Errata Corrigenda.

Pagina,	Versu,	Errata,	Corrigenda.
In Præfat. 1.	6.	πιςεωςϱεφτεγος.	πιςεωςϱεφτέγες.
Ibid. ad finem	11.	*Christi.*	Christiani.
7.	28	*Barolaio.*	Barclaio.
10.	ultimò	*Interpretes.*	Interpres.
28.	8.	καθ ὅλον καθ' ὅλὸν.	
Item 127.	3.	idem error corrige	
39.	1.	*fides fit.*	fides fit.
Ibid.	15.	*ministeriorum.*	mysteriorum.
45.	27.	*quæruntur.*	Queruntur.
49.	12.	*tum.*	Vel.
59.	24.	*genitis.*	gentis.
64.	penult.	*quodam.*	quoquam.
65.	16.	*priùs.*	illius.
71.	20.	*vocantur.*	vocatur.
79.	25.	*vel hoc ipso.*	vel ex hoc ipso.
81.	6.	*frustus.*	fructus.
92.	10.	*parientium.*	parientis.
100.	17.	*spirant.*	Spectat ad marginem Quakerianum spirant.

104. 13. *Omissum.* Hoc ipsum manifestè confirmat Quakerus Rob. Barclajus in Apologia suæ Theologiæ Carolo 2. M. Britanniæ Regi oblata A. 1676. pag. 36. ubi idem quod nos deducit Reformato Calvinistis, tum ex eadem à nobis allegata Confess. Gallica, tum ex Calvini Instit. l. 1. c. 7. Sect. 4. tum ex Artic. 5. Ecclesiarum Belgicarum Confess. quam Synodus Dordracena approbavit. Tum ex Theologis M. Britanniæ VVestmonasteriensis Con. Cap. 1. Sect. 5. Id ipsum præter citatam autoritatem, sat firmis nec facilè à Dissidentibus solvendis rationibus comprobat.

105.	1.	*Scriptura.*	Scripturam.
107.	7.	*Probat.*	confitetur.
115.	19. & 24.	*Phastu.*	Phassu.
Ibid.	26.	*Cangrantem.*	Cangiantem.

ER.

Pagina,	Versu,	Errata,	Corrige.
116.	15.	*tamen.*	tandem.
Ibid.	25.	*Non abs Veritate non poterant.* *Corrige.* Non abs Veritate poterant.	
119.	20.	*Item.*	Idem.
125.	1.	*seu.*	suæ.
Ibid.	25.	Corrige πιςεωςερατέγων.	
171.	6.	*circa.*	contraria.
Ibid.	26.	sumpto *deleatur.*	
172.	24.	*illam.*	illa.
Ibid.	27.	*dicata.*	dictata.
175.	13.	*Certè.*	Certa.
186.	25.	*eaque.*	eamque.
187.	4.	Item *omissum.* de tributo Cæsari dando.	
Ibid.	19.	*sibi.*	tibi.
188.	25.	*Domini Comminatione.*	Commonitione.
Ibid.	27.	*Schismatum aliam.*	non aliam.
194.	16.	*Veritatem.*	Unitatem.
202.	18.	Pergit ille hæc verba omittenda.	
212.	4. & 13.	Corrige.	τοιȣ́τον.
216.	7.	*in fonte.*	in fronte.
220.	25.	*post quingentos.*	post mille quingentos.
222.	26.	*ut ingratis.*	& ingratis.
226.	11.	*quod aliàs.*	quod alio.
228.	21.	*at hoc est extraordinarium.*	at hoc utrumq; est. &c.
233.	14.	*comprobatur.*	comprobabitur.
236.	15.	*Orius.*	Origenes.
238.	9.	*præcellere.*	præcelleret.
239.	23.	*instructum.*	instructus.
257.	6.	*Apostolis.*	Apostolum.
Ibid.	23.	Leopoldum I. *adde* videlicet, qui in Unitate cum eadem Ecclesia Catholica permanebant.	
261.	26.	*non sint.*	non esse.
264.	19.	*in manu.*	in manum.
269.	13.	*apostatus.*	apostatas.
Ibid.	14.	*Conatur.*	Conantur.
272.	13. in marg.	*Cultorem.*	Culmen.
173.	antep. ceterique	*Omissum* Verum teneant ?	